

V. C.
751



168

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

T A B U L A

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

ALPHABETICUM



Q. D. B. V.

HISTORIAE
SAXONICAE

SPECIMEN TERTIUM,

INCLUTÆ FACULTAT. PHILOSOPHICÆ

*PERMISSU PLACIDO ERUDITORUM
EXAMINI*

IN ACADEMIA LIPSIENSI

d. XII. Jan. M. DC. XCV.

H. L. Q. C.
proponent

P R Æ S E S

M. JOH. CHRISTOPH. PRÆTORIUS,
Hoiersvverdâ - Lufatus,

ET

RESPONDENS

CHRISTIANUS FRIDER. CRUCIANUS,
Luccaviâ - Lufatus, J. U. Stud.

L I P S I Æ,
Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

O. R. N.

HISTORIA

DE

REPUBLICA

ROMANA

AVGVSTI

CAESARIS

OPVS

AVGVSTI

AVGVSTI

AVGVSTI

AVGVSTI

AVGVSTI

AVGVSTI



ILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO,
DN. CAROLO
DE REX,

Dynastæ in Pobles, Kreucha &
Schulckendorff,
Serenissimi Ducis Saxonæ, liniæ Wei-
sentelsensis,
Confiliario Statûs Intimo & Aulæ Mare-
schallo.

Domino Meo Gratiofo,

ILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DOMINO,
DN. HENRICO
DE BÜNAU,

Dynastæin Bonau &c.

Serenissimi Ducis Saxo-Weissenfel-
fensis,

Consiliario Statûs Intimo, supremo Thuringiæ Ca-
pitaneo & Serenissimorum Principum Juniorum
Gubernatori,

Domino Meo Gratiofo.

ILLUSTRES atq; EXCELLENTISS. DOMINI,
MÆCENATES MAXIMI.

Mirabimini, cur ignotus ego VOBIS in con-
spectum VESTRUM prodire sustinuerim.
Fama NOMINUM VESTRORUM ILLU-
STRUM, virtus, & egregius, quò
literas literarumque studiosos prosequimini favor,
cum neminem facile per universam Saxoniam la-
teant, memet etiam excitarunt atque audacem fe-
cêre. Ultimum enim Historiæ Saxonicae Speci-
men editurus, NOMINIBUS VESTRIS ILLUSTRIBUS
illud inscribere ausus sum. Non ingratum Vobis
PATRONI MAXIMI fore id existimavi, siquidem Sere-
nissimæ Posteritatis Alberti, Magni Saxonum Ducis,
gesta, & in his PRINCIPEM quoq; cui ministeria Ve-
stra adprobatis, refert. Quâ decet igitur maximâ
mentis devotione precor, ut illud ceu humillimi cul-
tus & obsequii tesseram suspicere non dedignemini,
Mihi magnum ad ulteriorem industriam incita-
men-

mentum erit, si de VESTRO, hâc in parte favore
fuero certior redditus. Quò ut eo diutius frui li-
ceat, Deum T. O, M. venerabor, velit Vos MÆCE-
NATES, PRINCIPI SERENISSIMO, Patriæ atque INCLU-
TIS FAMILIIS VESTRIS, diu servare incolumes,
gloriamque NOMINUM VESTRORUM ILLUSTRIMUM
sempiternam reddere atque perpetuam

Lipfiz d. 2. Jan.
1695.

VESTRORUM NOMINUM ILLU-
STRIMUM

*Devotissimus atque humillimus
cliens*

M. JOH. CHRIST. PRÆTORIUS.

Coronidis loco addere libuit sequentia.

AD Politicos studium praequiruntur Geographia, Genealogia & Historia.
Non minus quoque huc pertinet Ethica, sed quatenus Jus Naturae
complectitur,

Addimus Logicam, quae Politicus baud commode potest carere.

Geographia Genealogia & Historia ad Provinciarum notitiam consequendam
conducunt.

Ethica mores dirigit & Actiones: Logica rationem

Historia tamen externa, praefenda est Historia Patriae.

Ad Benevolum Lectorem.

Quaedam me absente omissa fuere à typographo quaedam par-
rum accuratè posita. Illa jam Tibi nominabo; ex his praecipua
saltem corrigam, Tuæ reliqua benevolæ committens curæ.

§. 2. in vita Georgii pro 1495. lege 1498. ante verba pestilentis
morbo pone pro 1502, 1506. post, cum detrimento Patriæ susceptos adde,
reputans, post ad opprimendos Evangelicos inferre fasces, in vita Friderici
fratris Georgii pro in Comitibus Ulmenibus pone in conventu Brisgoe ha-
bito. In not. lege pro Gerard de nov, Gerard de Roo. §. 3. pro epetheosi
lege apotheosi. §. 4. pro Eodem anno AUGUSTUM, lege Augustam;
pro Pontificiis, Pontificiorum, pro omnia, at lege omnia, ut ad; pro Du-
caum lege, Paccaum; post verba è Belgio, dele, missa fuerint. §. 5. pro ex-
tricando, pone extricandi. pro Formula Concordia, lege Formula Concordia.
§. 6. in notis pro Wernerus pone Weckius. §. 8. post Alberti Friderici,
adde Brandenburgici. pro attulit, obtulit. in vita Christiani Ducis
Weissenfelsii pro 1688. lege 1686. In vita Christiani D. S. Mersburg.
post Maurit. Wilhelmum inferre Frid. Edm. n. 20. Sept. 1691, & Christia-
nam Eleonoram Dorotheam n. 1692. 6. Novembr. m. 1693. Mart. In vita Au-
gusti Mersburg. post Carolinam Augustam, pone Gustavum Fridericam
n. 1694. 28. Octobr. In vita Mauriti Wilhelmi Ziticensis, post Doro-
theam Wilhelminam adjice Carolinam Amaliam n. 1693. 28. Maji. nuper
modo extinctam. in notis lege pro comment. in Jus Pub. comment. in
Instr. Pacis. §. 11. dele Principum. §. 12. pro administrationem lege admi-
strationem, pro optatissimo, optatissima & pro, Reges,
Regem Gallia.



Corinthia loco habet hinc de ...

A. D. ...

...

Ad ...

...

...

...

...

...





CAP. III.

Argumentum.

§. 1. 2) *Vita Alberti Animosi; Georgii Barbatij eiusque prolis & Friderici. 3) Henrici Pii. 4) Mauritiij. 5) Augusti eiusque filiorum aliquot. 6) Christiani I. & Augusti. 7) Christiani II. 8) Johannis Georgii I. Augusti, Christiani & Mauritiij eorumque Posteritatis. 9) Johannis Georgii II. 10) Johannis Georgii III. 11) Johannis Georgii IV. 12) Friderici moderni Electoris Serenissimi.*

§. I.



FRIDERICUM II. seu Placidum Electorem Saxoniae duos habuisse filios, Ernestum & Albertum, neminem ni fallor latet. Ernestii posteros Electores pariter ac Duces Serenissimos praecedenti tradidimus capite. Superest Alberti Maximi Ducis familia, quae Septemvirali dignitate, post devictum Mülbergensi pugna Johannem Fridericum, egregie floret. Ut igitur hanc familiam prognatorum principum praclare gesta pateant, breviter illa delibabimus.

§. 2. ALBERTUS igitur familiae hujus Saxonicae fator, qui omnes Europae regiones nominis sui famam complevit, an. 1443. 27. Jul. in hanc editus lucem est. Fidem Imperatori egregiam probavit, quod ipsa Maximiliani I. vox testatur: *Alberto Saxoni debere, quod pater (Fridericus III. Imp.) Viennam, ipse vitam retinisset*

A

nisset

misset a). Ob fortitudinem & præclara in Imperium merita Innocentio VIII. Pontifici, *Dextera Imperii*; aliis à proceritate corporis *Rolandus* audiit. Penes Belgas tantum valuit auctoritate, ut cunctis virtute ac armis anteponeretur β). Juvenis Kauffungi plagio Altenburgo abductus, Carbonarii ope liberatus est, cui agrorum immunitatem copiamque ligni carbonarii, quanta ipse ac posterius opus haberent, impetravit γ). An. 1559. nuptias cum ZEDENA, Georgii Podiebradi Bohemiarum regis filia celebrans, cunctis vix XVI. annis natus in ludicris præliis palmam præripuit. Parente ac Wilhelmo patruo defunctis communi cum fratre hæreditarias terras consilio ac unanimi consensu gubernavit. De hac fratrum concordia versus extant antiqui:

Præbet fraternus amor exemplum pietatis

Quo magis esse nequit, principe digna pio:

Hos tenuit domus una viginti atque amplius annos,

Unanimes, semper grata aderat pietas.

Sponsam thoro, postquam annum XVI. attigisset, 1464. applicuit. Sequenti anno Imperatorem cum Ernesto fratre, provinciarum inaugurationis petendæ gratia, adiit. Bohemos, qui Fridericum III. Imperat. aggressi fuerant, Reg. Matthiæ Ungariæ operâ ab Austriacis in angustias compulsos, mille equites Alberti nostri, Georgio regi, socero, in auxilium missi, periculo liberarunt; quibus tamen haut par à Bojemis relata gratia est. Iniqui enim erant in prædæ partitione Duces ac fraudulentum in stipendiorum solutione. Quare impetrata à Victorino Georgii regis filio abeundi licentiâ, partim in Misniam reduces facti, alii sub Imperatoris signa se contulerunt δ). A Matthia Sliccone, Caspati Slicconis filio, adversus Elbogenses rebelles in auxilium evocatus, prodito strategemate, quò permilites in urbem sub peregrinatorum specie missos, occupare locum meditabatur, obsidione urbem cinxit, civesque omni interclusos com meatu brevi, ut deditioem facerent, compulit. Quo factò Elboga Slicconi restituta; ipse verò Albertus civitatis Patronus anno 1471. constitutus est. Eodem anno arx Misnensis ex solido lapide

pide condi cœpta. 1) Georgio Podiebrado R. B. vivis erepto, spe regni, quod præterea Ungariæ & Poloniæ reges ambiebant, à quibusdam concitatus, delecta equitum manu, licet Hugoldus Schieinizius aliique magnates consilium haud probarent, lecto sibi comite Cocericio consilii autore, Pragam tendit Albertus. Discordibus verò studiis, dum alii Polono, alii Ungaroli Saxoni faverent; fieri aliter non potuit, quin multi ex adversaria factione infestis essent Alberto. Hinc insidias optimo duci struxerunt; de quibus ab Ungaro quodam certior factus, diem publicæ lætitiæ determinavit. Inter maximos apparatus nec minorem Bohemorum de opprimendis hac occasione Misenibus spem, Albertus, magna de causa domum se vocari interserens, Pragà, ad quem vis impetum instructus atque paratus, discessit 2). Exorta Ruperto Coloniensi Antistiti cum collegio similtate, Burgundi opera ac armis Novesium ad Rheni ripam obsedit; quare 80000. exercitu his obviam factus Imperator Fridericus III. amicus tamen Caroli Burgundi quam hostis esse præcupiens, ipsum inter & Colonienses pacem reconciliavit 1475. In hac expeditione labarum gessit Albertus. Eodem anno in Silesiam cum Ernesto fratre processit, ut Ungarum & Polonum reconciliatos à Germaniæ finibus removeret. Ibi cum Alberto nuntiaretur, Matthiæ R. U. relatum esse, ac si in ipsum contumelias Dux jecisset, parvo comitatu in castra Matthiæ profectus magno animo falsum crimen diluit, eoque candore majorem Regis amorem sibi peperit 3). An. 1476. in terram Sanctã, haut infrequenti seculo illi consuetudine, iter instituit. Inter comites erant primarii, Sigismundus princeps Anhaltinus, Wilhelmus comes Henneber, Güntherus comes Schwarzburg. & alii. Hierosolymis in templo ad sepulchrum Christi, sacra Synaxi usus, septuaginta ferè equites auratos creavit. Redux inde Cyprum ac deniq; Rhodum divertit; utrobique benignè ac laute exceptus: Venetiis à Senatu rogatus hospitium sibi assignatum ingressus est. Quem cum in eo Dux Venetorum Andreas Vedraminus, statura procerâ & ætate grandi, inter alios senatores Reipublicæ salutasset; suis postmodum dixisse fertur: *Eligi à Venetis Duces, servituti aptos, qui videlicet secundum leges gubernent*

ment, iisque teneantur. Venetiis profectus Neapoli Austria Imperatorem & filium ejus Maximilianum convenit. Patriæ mense Decembri omnium applausu redditur, postquam Dresdâ d. 3. Martii discessisset 9). Res tum erat Ernesto fratri cum Quedlinburgensibus, qui sorori Abbatissæ; Halberstadiis & Hallensibus, qui Ernesto filio Magdeburgensi Archiepiscopo, debitam negabant obedientiam; quare junctus ei Albertus, rebelles ad officium reduxit, statuamq; Rolandi quæ vulgo dicitur, Quedlinburgi destruxit. An. 1478. Christinam, Ernesti Elect. filiam Christiano I. comiti Oldenburgico ac Regi Daniæ desponsatam, Hassniam deduxit. In reditu Lübecam rogatus à senatu despectens, cum licentiam sequioris sexûs velatâ facie discurrentis & per loca subterranea vagantis improbaret, effecit, ut mos ille publico abrogaretur edicto 1). Ungariæ & Poloniæ regum, propter regnum Bohemiæ, dissidium Olmüzii in Moravia quadantenus composuit, utque Ungarus Poloni filio Ladislao Bohemiam cederet, præstitit. Cum Romæ abesset Ernestus frater 1480. consiliariorum ejus insolentia, à quibus non prout par erat habebatur, commotus Torgam secessit Albertus, neque unquam, ut rediret Dresdam, adduci potuit 2). A. 1484. Catharinam filiam Sigismundo Duci Austriæ dicto à ditione Alpina Athesino seu comiti Tirolensi Oenopontem adduxit. Redux, ut sumtus annui auferentur sibi, ab Ernesto petiit. Hinc procerum consilio partitionem provinciarum maluit Ernestus. Quæ ut instituta sit, & quam partem elegerit Albertus, præcedenti capite dictum est. Cum Sigismundus Glichenfis, tutor prolis Ernestinæ, debitam Ernesto pecuniam ab Alberto exigeret, ordines in Lipsiensi conventu de tributis pendendis frustra appellavit, ex probrataque sibi, ob nimium tesserae studium, profusione, dolorem premens, usuram fecit. Quæ res subditis multo gravior cecidit, quam si ad solvendum æs alienum contulissent 3). Eodem anno sc. 1485. Matthias Ungariæ Rex, Austriacos male mulctabat. Illum enim offenderat Fredericus III. Imp. quod Uladislao Poloniæ regis filio regnum Bohemiæ conferens, Matthiam præteriret, conjugiumq; cupide ambientem repudiaret. Quare an. 1477, & 1480. non levia Au-

stria

striae damna dederat. Et quamvis lis composita aliquatenus
esset, rediit tamen anno 1485. Vienna, nec quidquam obnitente
Caesare, expugnata Neapolim Austriae obsidione cinxit. Fri-
dericus in comitiis Norimbergensibus difficulter à principibus
sumptuum bellicorum partem consecutus, Albertum nostrum,
ut Dux esset belli, multis precibus ac lachrymis permovit.
Igitur in Austriam movens Albertus, anno 1487. 7. Aug. muni-
tiones quasdam recuperavit; promissis verò sumptibus & au-
xiliis destitutus, moram trahere, Ungaroque Neapolis deditio-
nem permittere coactus est. Attamen collecta suis impensis a-
liqua militum manu, Regem ad inducias compulit; quae in D.
Hippolyti oppido in unum mensem sancitae sunt, quò pacifi-
cationis iniretur ratio. Exortum ante conclave inter utriusq;
ministros tumultum stetit Consilarii cujusdam providentia;
qui fores aperiens mutuos principum amplexus frementibus
jam monstrabat. Denique pace penitus constituta & militi-
minis stipendia flagitanti, numeratis de suo triginta nummum
millibus, rediit. Aspectum ejus Imp. modis omnibus fugit,
non quod ipsi esset offensus, sed quod recordaretur, gentibus
ferocissimis, inertem ferè, ac contra pacta Ducem objectum
fuisse. Promeruit verò Albertus, ipsius Matthiae testimonium
hoc: *Nisi ipse sibi fuisset oppositus; se brevi in media Germania
castra positurum fuisse u*). Posthac ad inaugurationem Maxi-
miliani, in regem Romanum electi, Aquisgranum profectus
est; ac demum Margaretham ex fratre neptim, Henrico Brun-
svicensi, sponso, Cellam adduxit. MAXIMILIANUS post co-
ronationem in Burgundicas Mariae uxoris provincias heredita-
rias perrexit. Quod verò pompâ minus esset conspicuus,
praefectique ejus praeterea & quaestores, ob iniquitatem, intolera-
biles ferè populo existerent, seditio exorta est. Maximilianus
huic malo Brugis occursum, captus in vincula traditur, per-
que novem menses in domo Audientiarum de Grossis asservatur.
Gandavi quoq; insidiabantur huic captivo, quò regi eum Galliae
dedere gratiamq; ejus inire possent. Igitur exercitu haut parvo,
ad liberandum vinculis filium, in Flandriam meditabatur ex-
peditionem Fridericus III. Imp. Albertus, licet multa essent,

quæ consilium improbabant, exposita tamen in Dresdensi conventu moliminis causa rebusque domi constitutis, cum delecta equitum manu, Georgio filio comite, ad Imp. tendebat, nil motus famâ, Maximilianum, promissa, juramento interposito, amnestia, vitæ periculo & vinculis, liberatum esse v). Testari enim Imperatori suam cupiebat observantiam. Mechlinæ, Gubernator Belgii constitutus, cum externi principis imperium ægre ferrent incolæ, imprimisque Duce Philippo, Ravensteinio comite, qui inter Brogas & Sluffam ad Thamum oppidum Maximiliani, adversus se missas, profligaverat copias, bellum meditentur; Albertus confirmato animo, hostibus in conspectum ivit. Multis locis (in quibus Thamum, octo castella in Hannoveria, Arschottum male mulctatum, quod Scrophæ cives Duci illuserant, Lovanium item & Bruxellæ erant,) aut vi aut verbis sub potestatem redactis, Norimbergam ad comitia an. 1491, profectus est, postquam Vilverdæ, Gorheimii, Jenepæ & Berbæ, arcibus, donec debita ipsi solverentur stipendia pignori datis, Vicelebium & Seidelitzium præfecisset. Cum enim Ravensteinus militem Alberti pollicitationibus ad seditionem concitasset, Albertus stipendia flagitantibus, in his constitutus angustiis omne suum aurum & argentum factum infectumque dederat, quo in officio contineret feroces animos. Norimbergæ publicæ ipsi gratiæ actæ, Aureique Velleris insignia & honores collati sunt. Inde Dresdam rediit urbemque incendio ultra dimidium ferè deletam restauravit. Denique hyeme ingruente adsumto in societatem itineris Henrico filio, Brabantiam repetiit. Worda & Montfortio arcibus deditone captis, Frisios Ravesteinii culpa rebelles & aquilæ loco panes, pro Leonibus verò caseos, in signis gerentes ad Leidam profligavit, ereptâ ipsis iterum, quam in Harlemo expugnata acquisiverant, prædâ. Posthæc receptâ deditone urbe, castrum Harlemi Saxenburgum condidit, Misnico firmatum præsidio. Pace hinc constituta Zuricensium in Zelandia urbem, à civibus invitatus, petiit; ubi gladium ac Rosam consecratam à Pontificis legato accepit. Rosam Georgio filio transmissam, Misnensi Basilicæ dedicari curavit. Postmodum Gandavum, supplicibus igno-

scens

scens civibus, ac tandem quoque Sluffam, à Ravensteinio dedi-
tione factâ, cepit. Ravensteinus in Galliam dimissus, in Les-
bo deinde in sula, adversus Bajazetem Turcicum Imp. militans,
oppetiit. Albertus Belgio planè devicto, Maximilianum Re-
gem eò evocat; qui tamen morte parentis subitâ Lincium 1493.
revocatus, demum, postquâ Mariam Blancam, Galeatii Ducis
Mediolanensis filiam in matrimonium duxisset, in Flandriam
reversus, filium Philippum, illis, solenni ritu, provinciis præfecit
(§). Albertus, cum Wormatiensibus, an. 1495. comitiis inter-
fuisse in Italiam, adversus Carolum VIII. G. R. Maximilianum
jam Imp. sequi iussus Ducis quidem munus, propter senectū-
tem, detrectavit, consilia tamen patriæ proficua pollicitus est.
Sumtus in Belgio factos sibi petens restitui, adhuc arces Limber-
gam, Kiselam & Reparmundam accepit. Promissi quoque ve-
ctigalium & portoniorum quorundam reditus; at cum fru-
stra hos expectasset Albertus, an. 1498. in Italiam profectus, Im-
peratorem denuo de solutione mutui, in agro Mediolanensi,
appellavit. Quare Friburgi in Brisgoa conventus, in quo par-
ticeps voti Albertus fieri debebat, indictus est; in quo Fride-
ricus filius ejus, equitis aurati insignibus acceptis, militiæ sacræ
in Prussia præficiebatur. Orto inter hæc bello Geldrico, Carolo,
Adolphi Geldrii filio, Duce, dum Helveticis revocaretur turbis
Maximilianus, summarum in Belgio gerendarum, Alberto
Saxoni, Georgio Bavaro, Wilhelmo Juliacensi & Johanni Cli-
vensi, commissa est. Cum verò miles eorum, protractâ indies
stipendiorum solutione, agrum Juliacensem cœpisset diripere,
certis cum Carolo Geldrico conditionibus, pacem facere coacti
sunt. Alberto, in laborum ac sumtuum (qui 350000 aureorum
Rhenanorum æquabant,) compensationem, Frisia certâ succes-
sionis lege pactoq; retinenda, à Maximiliano oblata est; quam
& multis de causis, licet haud pauciores essent, quæ dissvade-
rent hoc, accepit o). Exercitu igitur veteranorum militum,
insigni eo profectus domestica Fisiarum discordiâ & Ezardi
comitis Frisæ Orientalis operâ, aliquot, in Westgovia, oppidis
potitus, filium ipsius Henricum, cui consiliarium & legatum ad-
junxerat Johannem Pincernam Tautenbergium, præfecit. Vix
autem

autem Alberto reduce in patriam factò, Franicæ obsidetur Hen-
ricus. Igitur revertitur eò, hostesque sola adventus sui fama
dissipat. Gröningam obsidens inter pacis consilia, quæ Epi-
scopus Trajectensis procurabat, in castris morbo correptus ac
Embdam superiorem delatus, postquam filios, causam suam ac
Rempublicam Edzardo & præfectis commendasset, venenata,
ut fertur, potione d. 30. Septembr. 1500. extinctus est. Extæ
ejus in cœnobia quodam Tautenbergius sepelivit; funus Mi-
senam in monumentum patrium delatum π). Huic Alberto
propter tanta merita, collata fuit à Friderico III. Imp. in Ducat-
us Clivensem ac Juliacensem, expectativa seu investitura, ut
vocatur, si Wilhelmus sine mascula prole vivis excederet. Quod
jus triennio post in lineam Ernestinam Maximilianus exten-
dit. Cæterum arbiter lectus, inter Senatum ac Clerum Magde-
burgensem litem composuit. Imperii ac Christianæ religio-
nis defensor adeò tenax extitit, ut sæpius diceret: *Nihil habere se
magis in votis, quam ut liceat in Turcas Christiani nominis hostes
arma ferre, aut etiam, si Deo ita visum fuerit, oppetere.* Obstite-
re vero votis bella domestica. Anno 1472. cum Ernesto fratre
Ducatum Saganensem emens, jus possessionis solidum anno
demum 1474 Matthiæ R. U. consensu acquisivit. Olsnicensem
à Conrado Albo emturi fratres, consiliariorum Matthiæ R. U. qui
tali modo Silesiam paulatim ad externos venturam dicebant, in-
stinctu, ea spe exciderunt. Bescoviam, Soraviam & Storcaviam
à Bibersteinis compararunt; quæ tamen an. 1510. ære soluto, ad
pristinos iterum dominos revoluta sunt. Anno 1492. Glashu-
tæ ad Muglicium amnem, argentum purum erui cœptum est;
cum anno præcedenti Annabergæ metallum uberrimum erue-
retur. Locus hic vocabatur Schreckenberghum; unde moneta
hujus nominis. Ibidem Angelici, à tribus angelis & Molares,
à molendino recensibi exstructo ita dicti, cusi sunt e). Ex Ze-
dena conjuge m. 1510. genuit, præter Johannem I. Ludovicum
& Johannem II, ætate tenerâ defunctos,

I. CATHARINAM n. 1468. elocatam 1484. mense Septembr.
Sigismundo Austriaco eoque demortuo 1500. Erico Senio-
ri D.

ri D. Brunsvicensi, mort. an. 1524.

II. GEORGIUM BARBATUM, n. 1471. 27. Aug. qui Lipsiæ juvenis literarum studiis vacavit. Idiomatica Latinum & exterorum adeò probè calluit, ut sine ullo interprete cum quovis familiariter colloqui potuerit. De rebus gestis Alberti Animosi, parentis, commentarium scripsit σ). Alberto parente Belgicis bellis implicito, patriæ, sedecim annis natus, præfuit. An, ætatis XXV, splendidas nuptias Lipsiæ 1496. cum Barbara, Casimiri Regis Poloniæ filia, celebravit. Henrico Schleinizio, qui sponsam adduxerat, Honsteinam haud procul Stolpena donavit, quam Mauritius Elector postmodum à Schönbergiis Baronibus redemit. Fridericum fratrem, Magistrum Ordinis Teutonici in Prussiam 1495. comitatus est. Frisios post obitum parentis per Henricum fratrem & comitem Edzardum aliquandiu in officio continuit. Sceleratos, qui anno 1502. aërem inferant, corruptis insuper pascuis, deprehensos triennio post, debito affecit supplicio. Anno 1506. Georgius Güttersteinus & Brandensteinus, missis prius Georgio Duci literis hostilibus, Bischoffswerdam, militibus in plaustris frumentariis, summo mane, in oppidum invecis, diriperunt. Misso igitur illuc præsidio Georgius, urbem juramento sibi obligavit; quam tamen Johanni VI. præfuli Misnico post quintum mensem restituit τ). Judæus, adulteratæ in angelicis monetæ reus, Lipsiæ ad rogum damnatus est. Anno 1504. terræ motus per Misniam, sereno cælo, auditus fertur. Eodem anno in Frisiam profectus, homagio sibi devinctis Frisiis Ezordum præfecit. Anno 1505. agros Silesiacos à majoribus emptos cum Friderico Electore partitus est. Friderico Sora & Bescavia; Georgio Saganum & Pribusium cessit, Nicolao Slicconi comiti Bohemico adversus Elbogum rebellem suppetias tulit, captaque proditione quorundam urbe, seditiosos exilio multavit. Ex his aliquis flammam ædi suæ injecit: quo incendio LXX. ferè ædificia combusta memorantur. Circa hanc ætatem Christ, Baumgartnerus per Misniam indulgentiarum

B

rum

rum exercuit mercaturam; ne idem in Misnenſi diœceſi
faceret, Joh. IV. præſul magnis vix ſumatibus à Pontifice R.
impetravit v.) Pecunia primo decennio ex Georgii ditio-
nibus collecta, ædificandæ Baſilicæ Freibergenſi confecra-
ta perhibetur. Ultimi decennii reditus, ut dictum Alber-
tus Moguntinus Antistes conduxit; cujus nundinationis
præco extitit Tezelius. Georgius Dux Annabergæ Fran-
ciſcanorum ordini; Cœleſtini verò diſcipulis Königſteini
monaſterium condidit. Anno 1507. peſtilenti morbo fu-
rente, Schellenbergi ſe continuit: an. 1507. æs parenti ſuo
debitum in Comitibus Conſtantiæ habitis, per legatos fru-
ſtra repetiit. An. 1510. Pragam abiit, ut poſſeſſionum Bo-
hemix regibus obnoxiarum inveſtituram peteret. Chem-
nicii de controverſiis quibusdam privatis conventum cum
cognatis principibus habuit Φ). In Friſia Edzardus comes
ab officio receſſerat, conciliatis ſibi gentis, alienatæ à Geor-
gio, ſtudiis Gröningæ, exercitu Georgii occupatæ, deditio-
nem & tributa ex Umlandia denegans. Cum arbitri ab Im-
peratore conſtituti, Philippus Antistes Coloniensis & Wil-
helmus Juliacenſis dux, fruſtra feciſſent omnia, neque Ed-
zardus Auguſtam, ad dicendum pro ſe cauſam, evocatus
appareret parumque Conrado Monasterienſi Epifcopo,
Schaumburgio, Ritbergio & Lippienſibus cauſam ſuam a-
gentibus obtemperaret, proſcriptus eſt ab Imperatore. Du-
orum tamen, ad reſipiſcendum, menſium eidem ſpatium
datum eſt. Aſt cum neque hoc mutaretur Edzardus, Ge-
orgius præmiſſis Georgio Augero & Johanne Grumbachio,
legatis, cum parte exercitus, rigido brumæ tempore Brun-
ſvicenſibus ac Luneburgicis inſtructus auxiliis, in Friſiam
ſecutus eſt. Multis locis & in his Gröninga, Edzardi pro-
pugnaculo, ſubactis, militem in hybernia duxit. Ipſe in
patriam redux, maximos labores propter Friſiam à ſe ac pa-
rente, cum detrimento patriæ ſuſceptos Lincium ad Im-
peratorem proſectus denuò ſumtum petiit reſtitutionem.
Cum ſpe dimiſſus, ſupplicio affecit, quos in Friſia cum ho-
ſtibus conſilia communicaffe cognoverat. An. 1517. Mo-
gum!

guntiam ad comitia legatos misit; Augustanis verò ipse
interfuit anno 1518. in quibus inter alia, de sumtibus Bel-
gicis ac Frisijs, Georgio restituendis actum est χ). Ast hoc
negotium cum Carolo V. Imp. demum transactum fuit,
qui 200000. aureorum Frisiam à Saxoniarum Ducibus rede-
mit ψ). Henrico Luneburgico, Erico & Henrico Brun-
svicensibus, ducibus, adversus Hildeshemiensem Episco-
pum & Johannem Lauenburg. ducem, equitum manum,
in auxilium misit, qui verò, victis Luneburgico ac Brun-
svicensibus, capti partim aut occisi sunt. Victores, cum
neque arma deponere neque captivos principes Imperatori
tradere vellent, proscripti sunt, inunctâ Brunsvicensibus
executione. Georgius verò cum Magdeburgensi ArchiE-
piscopo mediator factus, litigantes conciliavit ω). A Stau-
pitio ordinis S. Augustini, provinciale concionatorem ali-
quem eruditum petiit. Missus igitur Dresdam Lutherus,
publicâ concione habitâ, nemini fiduciam salutis æternæ
abjiciendam esse, docuit. *Illos enim, qui Verbum DEI at-
tentè audirent, veros Christi esse discipulos, & ad vitam peren-
nem destinatos: totam quoque prædestinationis doctrinam, si a
Christo fiat initium, singularem vim habere, ad tollendum pa-
vorem illum, propter quem cogitatione sue indignitatis homi-
nes trepidantes, à Deo fugerent, ad quem unum maximè con-
fugere deberent.* De his interrogata inter prandium Barba-
ra Salana, Nobilis fœmina, cum diceret: *multo tranquillio-
rimente se morituram, si adhuc unam ejusmodi concionem audi-
re ipsi contingeret;* regessit subiratus Dux Georgius, pecunie
non levis jacturam se facturum fuisse, ni audisset ejusmodi
concionem, *quæ modo homines securos redderet ac temerarios*
a.) Neque etiam postmodum orto Reformationis tem-
pore, quemquam hoc principe, infensorem, expertus est
Lutherus. Cæterum Eccii Professoris Ingolstadiensis cum
Carolo studio disputationem modis omnibus promovit,
datis quoque hâc de re ad Mersburgicum præsulem, qui il-
lum impedire nitebatur, literis. Venerunt igitur Lipsiam
anno 1519, Eccius, præcipuos Ingolstadii ac Erfurdiâ, viros
secum

secum adducens, & Caroloftadius, quem Berminus Pome-
ranix Dux, Reftor Academiae Wittebergenfis, Lutherus &
Philippus Melanchthon comitabantur. A precibus itum
eft ex templo Thomano in arcem Pleiffenburgum, in qua
amplum auditorium exftitit curaverat Georgius. Petrus
Mofellanus Graecae linguae professor à Georgio conftitutus
oratione praeliminari, difputantes monuit, ne verbis fe in-
vicem duriusculis irritarent, fed folam veritatem cum mo-
deftia indagarent. Post canticum, quo Spiritus S. implo-
ratur praefentia, decantatum, congressi funt Eccius & Ca-
roloftadius, deq; Libero Arbitrio in contrarias partes diffe-
ruere. Caroloftadius cum Eccium ex libris ipfisq; auto-
rum, quos fecum attulerat, fententiis refutaret, Eccius id a-
gre ferens, effecit tandem, ut memoriter fecum difpuraret
Caroloftadius. Lutherus quoque provocatus de primatu
Papae, purgatorio & poenitentia, quae fatisfactionem requi-
reret, communicavit. Duravit haec difputatio fex dies, qui-
bus praeterlapfis Eccium Joh. Poliander, Lutherum Joh. A-
gricola Islebius excepit. Tandem post octodecim dies,
totum colloquium finitur & quamvis cautum efflet, ne quis
ea, de quibus difputatum erat, effutiret; Eccius tamen de
victoria paffim gloriatus eft: quare Lutherus etiam minus
ea celavit. Colloquio per dies aliquot faltem Georgius,
ftudio à fuis prohibitus, ex Epifcopis vero Abbatibus &c.
nullus praeter Georgium Anhaltinum Mersburgenfem praefu-
lem interfuit. Lutherum, Eccium, Melanchthonem &
Caroloftadium lautò Georgius Dux convivio excepit. De
Eccii Difputatione ita iudicavit; *Sive hoc fit jure divino five
humano, Romanus Pontifex eft & manet Pontifex*; de quibus
Lutherus: *ita verè dixit & non leviter inutilem hanc noftream
difputationem infigni hac modeftia taxavit b)*. Anno 1520,
comitiis interfuit Wormatienfibus; ubicum nonnulli, ut
Lutherus, (cui Georgius per ditiones fuas eo proficifcendi
falvum dederat conductum) caperetur, fvaderent, licet ei
infenfiffimus efflet, refpondit tamen: *Principes Germanos
hanc turpitudinem, maxime in his primis Caefaris comitiis ad-*
missu.

missuros neuntquam esse, ut fidem datam violarent; non con-
venire hac, cum priscis Germanorum moribus, sed servari de-
bere, que promissa sunt. Anno 1522, Lipsiensem Academiam
visitans, lectionem N. Test. à Luthero in Germanicum
idioma translata, concionum quoque hæreticarum, in vic-
cina Saxonie Electoris ditone, frequentationem interdi-
xit; quò facto haud pauci studiosi Wittebergam hinc mi-
grarunt c). Anno 1523, propter inundationem fluviorum
ingens annonæ caritas exstitit. Ortam rusticorum sedi-
tionem, cum Electore Saxonie, Henrico Brunsvicensi Du-
ce & Philippo Hassie Landgravio in Thuringia extirpavit.
Redux Lipsiam ibidem quoque in seditiosos inquirens, se-
ptem ex tribus mechanicis capite, quindecim exilio;
Magistratum quindecim nummum millibus multavit. Re-
um itidem Magistrum, qui Mersburgò Lipsiam confuge-
rat, vincitum remisit. In urbibus metallicis Ernestus
Schönbergicus culpæ consortes, quos ex albo baculo,
quem gestabant, cognoscebat, nomine Georgii, ut
damna refarcirent, loca sacra diruta reficerent, prædam
inventam restituerent, & certam pecuniæ summam in-
tra certum quoque tempus pænæ loco penderent, coëgit
d). Anno 1526, Wratislavium gratulatum Ferdinando de
Ungarico & Bohemico regno, profectus est. Interim à
Paccio concitatur non levis tumultus, siquidem inter Fer-
dinandum, Moguntinum, Trevirenses, Palatinum &
Brandenburgicum Electores, Francicos præfules, Georgi-
um nostrum & Henricum Brunsvicensem, ad opprimen-
dos Evangelicos, initum esse, Philippo Hassio persuaserat.
Missus ergò Cassellas à Georgio Pistorius, perfidiæ ac pro-
ditionis Paccium insimulavit; qui cum sufficienter se ex-
cusare non posset, licet crimen removeret, dimissus à Land-
gravio, inque Caletano portu, dum in Angliam trajectu-
rus esset à Maria gubernatrice, Ferdinandi sorore compre-
hensus, vel Antverpiæ vel Mechlinæ tanquam perduellis
punitus est e). Anno 1530, comitia Augustana frequen-
tavit. Cum Polonorum Rege inter Ferdinandum & Jo-
hannem Transylvanum Waiwodam arbiter fuit. Anno

1532. adversus Turcam, duce Hojero Mansfeldico auxilia
misit, Wilhelmum Haugwitzium, qui Spigellum præfe-
ctum Lipsiæ & Fachsum consulem ex insidiis ceperat, pro-
scripsit. Tandem Hassi intercessione vita donatus exul a-
liquandiu fuit, pecuniamque haud levem solvit f). Anno
1533. Inquisitionem adversus Evangelicos per suas ditiones
instituit acrem. Lutherus, cum exules literis consolatus
Georgium Satanæ Apostolum appellasset, accusatus apud
Electorem, quod calumniis Ducem proscinderet, & subdi-
tos ejus ad seditionem concitaret, jussus, publico scripto
crimen diluit g). Anno 1534. Philippo Hassiæ Landgra-
vio Ulricum Ducem in pristinum restituente, Georgius ge-
nero timens, cum aliis arbitris, Cadanum in Bohemiam,
profectus, totum inter Ferdinandum & Hassum compo-
suit. Ernesto Schönbergio consiliario, sacrae synaxis usum,
prout à Christo institutus esset, in mortis hora poscenti, ne-
gavit; Elector verò Saxonix, per Christophorum Eringi-
um Zwickaviensem Doctorem, voti ipsum fecit participem
h). Anno 1535. Monasteriensi adversus Anabaptistas au-
xilia misit. Monetam correxit. Pactum cum Johanne E-
lectore Saxonix (quo dissidium propter religionem tolle-
batur, & utriusque beneficiarii s. clientes, cujuslibet religio-
nis, eodem quo prius jure permittebantur esse,) initum, an-
no 1536. violavit, Ecclesiasticis Lutheranis in Electoris di-
tione, ex suis ditionibus redditus debitos, denegans. Qua-
re Joh. Fridericus literis eum à cœpto dehortatus, cum im-
petrare nil posset, sociorum consilio ac ope se munivit. Ge-
orgius fœderi Norimbergico, quod sacrum vocabatur, se
se addixit i). Carolo V. Marsiliam in Gallia obsidenti,
ducibus Ottone Disca & Christophoro Ebelebio, nobilium
aliquot cohortes auxilio misit. Anno 1537. in conventu
Lipsiensi de Agneta Ernesti Mansfeldici filiâ unico super-
stiti filio desponsandâ, consilia cœpit. Is verò in ipsis
nuptiis extinctus est. Alberto Leusnicense comite pa-
rentis & suo in Frisia Legato mortuô, Georgius hæredi-
tatem ipsius adiit; Mauritio Henrici fratris filio, Luthera-
næ

nã addiçto doctrinã, eandem petenti denegavit. Posses-
 siones suas Carolo V. & Ferdinando legavit, si in hæresi sua
 persisteret Henricus frater, & filii ejusdem sequerentur ex-
 emplum. Antequam vero legati, ad fratrem hujus rei si-
 gnificandæ gratia missi reverterentur, nocte insequente,
 cum ante cœnam solita usus esset potione, vehementissimis
 cruciatibus oppressus Georgius, Cancellarium ad se vocari
 jussit, ut de rebus suis aliquid constitueret. Venit is, ast
 paulo serius; emortuo quippe jam linguæ usu. Quare re-
 jecto confessionario, qui Divum Tutelarem Jacobum Apo-
 stolum, invocare jubebat, cum aliis familiaribus in solo
 Christi merito fiduciam collocare docuit *k*). Obiit itaque
 Georgius 1539. d. 17. Apr. Novi Testamenti versionem ab
 Hieronymo Emsero factam, & à Lutheri parum diversam
 edidit præfationeque sua dignatus est. Angliæ Regi Hen-
 rico ad literas, quibus Georgium æquè ac Electorem ad-
 versus Lutherum concitabat, eruditè respondit; Ex Bar-
 bara, Casimiri Poloniæ regis filia, mortuâ 1534. pater fa-
 ctus est

- 1) MAGDALENÆ Joachimo II. Electori Brandenburgi-
 co splendidis nuptiis, quippe quibus XXIII. principes
 interfuere, an. 1524. d. 6. Novembr. elocata.
- 2) CHRISTOPHORI, n. anno 1492. inque infantiâ
 mortui.
- 3) JOHANNIS, n. 1501. qui in Belgio cum Carolo V. edu-
 catus est. Propter simplicitatem minus regimini aptus
 fuisse judicatur. Luthero tamen non minus, quam pa-
 rens, infensus extitisse perhibetur *l*). De religione
 graviter nonnunquam, interdum verò etiam cum joco,
 non sine parentis dolore locutus esse dicitur. Cum Eli-
 sabetha, Wilhelmi Hassiæ Landgravii filiâ, sterile matri-
 monium habuit. Vitam exiit Dresdæ anno 1537. die
 13. Jan. *m*).
- 4) CHRISTOPHORI & Wolffgangi in prima ætate extin-
 ctorum.
- 5) FRIDERICI n. 1504. die 15. Mart. qui in ipsis Agneta
 Mans

Mansfeldica nuptiis oppetiit. Secto corpore, intestina omnia sic corrupta comperiit Medicus, ut mirum sit ipsi visum, in tanta membrorum omnium confusione, potuisse tamdiu vivere principem. Accidit hoc anno 1637. d. 29. Febr. n).

6) CHRISTINÆ n. an. 1505. & Philippo Hassiæ Landgravio an. 1523. nuptui datæ. m. 1549.

III. Habuit ALBERTUS filium HENRICUM, de quo seqv. §.

IV. FRIDERICUM n. 1474. d. 25. Decembr. qui Senæ in Italia liberarum artium studiis operam dedit. Redux inde aulam Berchtoldi Moguntini Archipræsulis frequentavit; à quo Hercyniis præfectus est. A Georgio Kerâ nobili Franco Würzburgensis quidem designatus est Episcopus: restitit verò Collegium, quod Keram in exilium compulit, Dresdam igitur confugit, ubi, ob vulneratum Georgium Schleinitzium, è Franciscano, quò receperat se, ereptus, carceri mancipatus est o). In comitiis Ulmensibus Ordinis Teutonici, in Prussia Magister constitutus Regiomontum anno 1498. d. 28. Febr. venit. Sub initium statim regiminis cum Johanne Polonorum rege controversiam nactus est; quippe qui juramentum fidelitatis ab ordine exigebat. Ea propter opem à Maximiliano Imp. & principibus petiit; ast cum Alexander Litvanus Johannis successor Prussiam ingressus jurejurando sibi obstringeret urbes, nec tamen supplicas impetrare posset Fridericus, munere sese abdicans, Prussiam relinquere quam regi externo servire maluit. Quamvis verò Equites hortatus esset, ut quibus possent, Imperio provinciam conservarent, successor tamen Friderici, Albertus Brandenburgicus Marchio eò tandem redactus est, ut Regis Poloniae se subjiceret imperio, hæreditariam Prussici principatus possessionem pactus p). Fridericus Ernesto Magdeburgico Antistiti patrueli à Julio III. successor datus, Rochlitzii transegit. Tandem integro ferè triennio hydrope vexatus, obiit 1510. 13. Novemb. Misnæ conditur in monumento majorum.

a) Fabr.

- α) Fabric, in vit. Albert. Animosi l. VII. O. S. conf. Schurzfl. in
 not. ad Bojem. vit. Alberti. β) Langius in chronic. Zittzens.
 Pontus Heuterus l. 5. rer. Belg. l. 5. an. 1500. Job. Isacius Pontanus
 l. 10. hist. Geldr. l. 10. an. 1488. γ) Bojem. in vit. ejus. δ) Fab.
 l. c. conf. ex parte Bojem. l. c. ε) Fab. & Bojem. l. c. ζ) W. Craus
 von Gungenhausen de O. E. in vit. Alberti. Mart. Boregk. P. II.
 chron. Bohem. p. 572. η) Bojem. in vit. Albert. Fabric, l. cit.
 θ) Fabr. & Bojem. l. c. conf. Spangenberg. l. 5. Chron. Henneb.
 c. 36. an. 1476. ι) Bojem. l. c. κ) idem l. cit. conf. Fabric.
 λ) Fabric, in vit. ejus. μ) Bojem. l. c. conf. Cuspin. in vit. Fri-
 derici III. Imp. ν) Fabr. & Bojem. l. c. conf. Gerard. de nov.
 rer. Austr. l. 10. p. 371. ξ) Heuterus l. c. Fabr. & Bojem. in vita
 Alberti. ο) Ubo Emmius rer. Fris. hist. l. 37. collat. cum lib.
 48. π) Fabr. & Bojem. l. c. Langius in chron. Zitticens. tor-
 menti ictu occisum autumat Albertum. ρ) de his vide Fab.
 & Bojem. l. c. conf. Albin. Meissnische Berg. Chronica. Spe-
 ner. in Syllog. σ) hunc in historia Alberti secutum se esse te-
 statur Fabric. l. c. τ) Fabr. in vit. Georg. Dresserus de urbi-
 bus p. 133. υ) Fabr. l. c. φ) Fabr. l. c. χ) Fabric. & annal.
 Frisici. ψ) Emmius in hist. Fris. l. 48. ω) Fabr. l. c. Bünting.
 in chron. Brunsvicens. a) Seckendorff. in Lutheranism. b)
 Seckendorff. l. c. Fabr. l. c. Peiferus in Lipsia. c) cit. au-
 zores. d) Fabric, in vita ejus. e) Sleid. de St. Relig. L. 6.
 Strauch. dissert. exot. 9. Musen. in hist. Caroli V. & Ferdin. I.
 l. 4. Fabr. l. c. f) Fabr. l. c. g) Sleid. l. c. l. IX. h) Fabric. l. c.
 i) Sleid. L. X. p. 120. k) Fabr. l. c. Seckendorff. in Lutheran.
 l) Vincent. Sturm. m) Fabric, in vita ejus L. VII. O. S. n)
 Fabr. l. c. in vita. ο) Fabr. in vita p) Fabr. l. c. conf. Con-
 ring. de Fin. Imper. c. 29. p. 825.

§. 3. HENRICUS alter Alberti Animosi filius n. 1473. d.
 16. Martii parente in Belgio militavit. Hinc oppugnationi
 Montfurtenfi interfuit, & Gandavensem agrum cum delecta
 manu populatus est. Denique pro more illius seculi Hieroso-
 lymam, ut equitis S. Sepulchri insignia consequeretur, mi-
 gravit. Redux Frisiorum genti octodecim natus annis præ-
 ficitur.

C

ficitur.

ficitur. Franicæ à seditiosa plebe, intra urbis mœnia inclusus, patris adventu liberatur. Catenam, quâ ipsi gulam frangere minati erant Frisii, Dresdam advexit secum, ubi ad hunc diem in Hippodromo asservatur. Germanicos Rythmos loco ab Augusto Elect. inscriptos sic reddidit latinè Fabricius. Nisi solius Dei beneficio vinculis his Henricus Parens solutus esset, tum se in has auras non fuisse progenitum vitales *a*). Posthæc altera vice Palæstinam adiit Henricus ac denique templum S. Jacobi Galliciaë visitavit, in cuius altari centum florenos Divo consecravit, his usus verbis: *Ego quidem Tibi, in cuius honorem hanc profectioem suscepi, hæc offero, sed si Tibi patiaris illa à nebulonibus istis (clericis) aufferri, excusatus Ego ero. β*). Anno 1524. Misenæ epetheosi & ossium effossionii Præsulis Benno- nis, qui Caroli Miltizii Nobilis Misnici, Cardinalis, opera à Pontifice Clemente VII. inter Divos relatus erat, adversus quod factum Lutherus scripsit. Postquam à bello Rusticano rediisset Henricus, rejectis Pontificiorum erroribus, Lutheri doctrinam amplexus est; licet in adversum niterentur Georgius frater & Canonici Freibergenses, maximè verò Strehlinus. Hoc facto tantum fratris odium sibi peperit, ut cum ex tam amplis ditio- nibus Freibergam saltem, Wolckensteinum & Marienbergam à se exstructam obtineret; ne quidem Leusnicensem comita- tum filio suo Mauritio impetrare potuerit. Quin potius hæ- redes posthabito fratre, Georgius *ἀπαίς* scripsit Carolum Imp. & fratrem ejus Ferdinandum. Ex Ordinum verò Misniæ sen- tentia Legati ad Henricum missi sunt, qui voluntatem Georgii aperirent ipsi, ut quæ à Lutherana hæresi deficeret, & in tantas succederet possessiones, precarentur; quibus princeps inte- gerrimus respondit; *Plane similis mihi videtur postulatio vestra, illi, quâ Diabolus in N. T. Salvatore nostro Jesu Christo, omnes mundi terras alienas nec quidem suas, pollicetur, si supplex factus ipsum adoraret. An me ullas opes terrenas tanti existimatis face- re, ut propter has Christum meum relinquere velim, manifestus in hoc fratris & Vester error est; neque persuadeatis vobis, me quic- quam ejusmodi commissurum esse.* Antequam verò legati rever- terentur, extinguitur Georgius, cujus, nondum firmato ac
corro-

corroborato testamento ditiones Henricus recipit, subditosque juramento sibi obstringit. De auxiliis enim Johannis Frederici Elect. & fœderatorum Schmalcaldicorum, quibus anno 1538. accesserat, certus erat, si fortè obsequium ipsi denegarent ordines. Hinc orthodoxam Evangelii doctrinam consilio imprimis Lutheri & operâ Georgii Spalatini, Nicolai Hausdorffii & Justii Jonæ, quos Theologos ipsi miserat Elector Saxonix, introduxit. Lipsiæ primam concionem in arce Lutherus habuit. Papicolis, ne verba publicè ad populum facerent, interdictum. Qui fidei Evangelicæ amplectebantur doctrinam, illis remanendi potestas facta, reliquis abeundi licentia data. Eodem anno sc. 1539. tumbam Bennonis Misenæ, aliter de Deo ejusque cultu edoctus, deturbavit. Cum Belgio adhuc militaret parenti Henricus, ad mensam adhuc, attentis oculis miles ipsum contemplatus deque causa interrogatus, dixisse fertur: Principem hunc olim omnium paternarum provinciarum hæredem fore. Quo audito Henricus præ amore erga fratrem, subtristis factus, mendacem vocavit militem. Obiit 1541. 18. Aug. tumultus Freibergæ in sacello Templi Cathedralis sacri B. Mariæ Virginis γ). Ex Catharina Magni Ducis Megapolitani filia, quâ cum nuptias, in quatuordecim principum frequentia, Freibergæ an. 1512. celebravit, suscepit

I. MAURITIUM de quo seq. §.

II. SEVERINUM n. 1522. d. 29. Aug. qui cum Ferdinandi I. postmodum Imp. sobole Oenoponti educatus anno ætatis XI. in ipso flore 1533. d. 19. Octobr. extinctus est. Morti proximus, cum interrogaretur; num aliquo parentum teneretur desiderio, respondit: Destinata cunctis mortalibus mors est, & quia me Deus nunc vocat, ejus me voluntati lubens committo, neque refragabor illi, cujus mandatum neque pauperes neque divites effugere possunt δ).

III. AUGUSTUM de quo §. 4.

IV. ÆMILIAM Georgio Marchioni Brandenburgico a. 1532. nuptam m. 1591.

V. SYBILLAM Francisco I, Duci Saxo-Lauenburgico 1540.
nuptui datam.

VI. SIDONIAM Erici Duci Brunsvicensi 1545. elocatam,
m. an. 1575.

a) *Fabr. L. IX. O.S. in vit. ejus.* β) *Vita Henrici MS.* γ) *Krauß von Buntzenhausen vom Ursprung des Hauses zu Sachsen in Henrico. Fabr. l.c. Peifer. in Lipsia. conf. Seckendorff. in Lutheran.* δ) *Fabr. l.c. in vita ejus.*

§. 4. MAURITIUS n. 1521. d. 11. Maji, qui ob tenuissimas parentis facultates, trivialem Freibergæ scholam frequentavit cum Augusto fratre, dum Rectoris ibidem fungeretur munere Johannes Rivinus. Deinde in aula Georgii patris Dresdæ ac tandem penes Joh. Fridericum Electorem Saxonie educatus est. Lutherus aliquando ab Electore, quid de eo sentiret, interrogatus, *Leonem* ipsum vocavit ac *Lupum*, addito monito, quod alias notum est. Elector verò aliam de illo spem esse concipiendam censuit a) Parenti anno 1542. succedens propriis sumptibus, sub auspiciis Joachimi Marchionis Brandenburgici (qui tum Campi-Mareschallus ac locum tenens Imperii erat) adversus Turcas in Ungaria militavit. Unico saltem satellite castris aliquando egressus, in cohortem incidit Turcarum, à quibus fuisset oppressus, nisi Johannes Ribisch/ nobilis in illum equo jam dejectum armisque gravem se conjiciens, vulnera tamdiu suò excepisset corpore, donec Melchior de Wangenheim aliquot interveniens equitum turmis Barbaros depelleret b). Cum Joh. Friderico de Wurzena, in quâ uterque tributum ad bellum Turcicum continuandum colligendi jus sibi vindicabat, inimicitiam habuit, Landgraffii Hassiæ mediatione compositam c). Alii inimicitiam inter Mauritium ac Electorem ex ludo chartæ, quò Wurzenam perdidisset Mauritius, ideoque ab Electore reprehensus fuisset ac monitus, ut cautius in posterum disceret mercari, ortam existimant d). Annò 1543. leges aliquot subditis suis præscripsit. Tres Scholas illustres Misnensem seu Afræ Monachis Canonicis irregularibus olim dicato loco, Portensem in Cisterciensium olim sedem

dem & Grimmanam in Ordinis Prædicantiû modo D. Augusti-
ni, monasterio, condidit. Proventus collegiorum, ut alimen-
ta inde essent alumni & stipendia Magistris hisce consecravit
seminariis e). Carolo Imperatori postmodum in Gallia mili-
tavit. In frequentibus illis temporis tumultibus singulari re-
ligionis ac Pacis conservandæ studio tenebatur. Landgraffiô
Hassix adversus Brunsvicensem auxilia adduxit: arbiterque
pacis inter illos extitit. Eodem anno sc. 1544. d. 16. Febr. Mi-
senæ Consistorium seu Judicium Ecclesiasticum, præside Hen-
rico à Braun, Jcto Wenceslao Neumanno & Assessoribus Joh.
Rivio ac Laur. Schrötero, constituit f). A. 1546. Ratisbon. pro-
fectus multa cum Carolo V. colloqvutus est de bello Schmal-
caldico. A fœdere Schmalcald. alienus plane fuit; Cæsarisq;
partes non adversus Joh. Fridericum odio; sed, ut suis ac ipsi-
us simul commodaret provinciis, amplexus est. Literæ enim
Cæsaris, cum proscriptionis Hassi & Saxonis exemplo Ratisbo-
nâ ad Mauritium 1546. missæ testantur, Mauritium, ut oc-
cuparet Electoris ditiones, coactum fuisse; siquidem, ne in
aliorum manus venirent, prohibere aut crimen inobedientiæ
avertere vellet. Has igitur cum Augusto & proceribus Chem-
nicium convocatis communicavit, & quid opus factô sit, con-
suluit. Cum igitur hi extra religionis causam, in omnibus
Imperatori parendum censerent; neque Joh. Friderico Ele-
ctori ejusque filio Wilhelmo persuadere posset, ut sibi, immi-
nente Ferdinando, possessiones traderent, donec bello extin-
cto, Carolo reconciliati, ad sua redire possent, arma sumit:
Literis tamen, necessitatem facti, indicto quippe jam à Ferdi-
nando subditis Joh. Friderici subditis bello, causatus est g).
Plurima igitur Electoralis ditionis loca, exceptis saltem Isena-
co, Gotha & Wittenbergâ, expugnavit editaque Apologia à
calumniis, quibus abnegatæ fidei proditionis & ingrati-
tudinis arguebatur, sese purgavit. Diesdam ab Electore, qui redierat,
obsidione cinctam, fortiter defendit. Alberto autem Bran-
denburgico ad Rochlicium cæso, ne ipse etiam opprimeretur
Mauritius, Carolus cum exercitu comode accedens prohibuit.
Electo ad Mülbergam captus, prope Wittebergam in castris

dignitati ac possessionibus renunciare easque Mauritio permittere coactus est. Wittebergam deditione captam itidem, postmodum Mauritio cessit Carolus. i). Cum verò Landgraffium Hassiæ, quem, sua interposita fide, Mauritius, Halam ad Carolum V. ut veniret, seque dederet, permoverat; præter fidem datam retineret, priora pacti verba: *Daß er mit einiger Gefängniß nicht solte beschwehret werden/* ita postmodum explicans: *daß er mit ewiger Gefängniß nicht solte beschwehret werden/* non leviter offensus Mauritius, verè prudenter respondit: *At ego Te tanquam Imperatorem, non tanquam Legistam pactiones & fœdera interpretari volo* k). Cæterum tam Wittebergam ingrederetur Mauritius, omnibus averso eum vultu spectantibus, pudore confusus asseritur. Senatui in arcem convocato privilegia confirmavit, Academiam bello superiori dilapsam Nobilitatis ac oppidanorū precibus, restituit l). Postquam Julium Pflugam Numburganum præsulem à Joh. Friderico pulsum, repudiato Amsdorffio, restituisset d. 5. Jul. Lipsiæ conventum habuit, in quo præsentibus Georgio Anhaltino Mersburgensi Episcopo, Wittebergenfibus Melanchthone, Pomerano & Crucigero, aliisque provinciarum suarum Theologis, de bello adversus Joh. Fridericum gesto suoque desiderio multa locutus Ecclesiæ & Scholarum in tumultibus illis turbatarum administrationem restaurandam, curæ habuit, decretumque publicavit, *de duabus Academiis Wittebergensi & Lipsiensi, bello dissipatis, in integrum restituendis; de visitandis Ecclesiis & earum pastoribus, de hora certa diebus Dominicis examini catechetico destinanda, de stipendiis pauperum, de senio confectorum sacerdotum, de executione omniam eorum, que mandantur, deque venia sacerdotibus, qui belli tempore sermonibus & verbis quibusdam deliquerunt, clementer concedenda* m). Iisdem ferè temporibus pontem sublicium Dresdensem, bello durante abruptum refecit, lapideumque fieri curavit. Anno 1548. pontem Misnensem incensum restauravit n). Eodem anno Augustam ad comitia profectus solenni ritu duodecim in campum procedens vexillis, Electorali dignitate inauguratus est o). Ibidem Magdeburgenses proscripti sunt, quod librum

Interim

Interim à Julio Pflugio Numburgano præfuli, Michaele Hel-
dingo & Johanne Agricola Islebio conscriptum, eò quod Pon-
tificiis nimium accedere videretur doctrinæ, recipere pertina-
citer recusarent. Eundem librum cum obtrudere etiam vellet
Cæsar Mauritio ac reliquis Protestantibus, suis ille Theologis
significavit, se nequaquam ab A.C. formula vel ad unguem,
recessurum. Quod si verò salva conscientia ac sine veritatis
periculo quædam admitti possint, certiore ea de re quam pri-
um facerent, petiit. Permittentibus igitur Misnensibus The-
ologis quædam adiaphora seu ceremonias libero Ecclesiæ arbi-
trio relictas, graviter se se opposuerunt Magdeburgici Docto-
res *Nicolaus Amsdorffius, Nicolaus Gallus, Johannes Epinus & im-
primis Matthias Flaccius Illyrius*, adiaphora in statu confessio-
nis & contradictionis abrogari non posse contendentes. Ex-
inde non levesturbæ enatæ per multos annos Ecclesiæ quietem
rupere. Dum igitur absente Mauricio quererentur quidam
religionem Pontificiam revocari, literis constantem in A.C.
doctrina animum suum testatus Mauricius, ejusmodi de se
querelas interdixit p). A Carolo V. bello in Magdeburgenses
proscriptos suscipiendo, præfectus est, *quod omnium statuum,
ipsius Cæsaris judicio, nullus esset, eo quidem tempore, magis ad
eam provinciam idoneus q)*. Igitur cum anno 1550. d. 26. Jul.
Comitiis Augustanis non interesset, sed quod Religionis mu-
tationem, vel etiam, nè Philippus Caroli filius Hispanorum,
Rex Imperio obtruderetur, timeret, apparatus belli dicti cau-
satus est. Concilium Tridentinum audiendum, postquam
decretum esset, Mauricius per legatos huic contradixit, neque
illud pro vero œcumenico concilio agnovit, nisi A.C. Theolo-
gi quoque audirentur, atque Pontifex præsidis locum abdi-
caret, ac eidem potius se submitteret, literam Episcopis pro-
nunciandi sententiam permetteret. Maritimarum civitatum
suppetias Magdeburgo Ducibus Hedecio comite Johanne &
Volrado Mansfeldico missas, profligavit. Veteranorum mi-
litum cohortem cum Hedecio sub signa sua recepit. Hedecci
precibus senatoribus quibusdam in vicinum urbi pratum evo-
catis, per Mordisium consiliarium denuo sequentes obtulit,
condi-

conditiones; ut absque conditione Imperatori se dedant; delictorum supplices veniam petant; decreta Imperii cuncta servant, Canonicos ab ipsis pulsos restituant, damna compensent, judicandos se certo loco sistant; munitiones destruant, praesidium in urbem recipiant, neque quicquam contra Imperatorem in posterum committant. Levinum Embdium Syndicum magna contentione urbis nomine respondentem, omnia se approbaturus, modo de religione & libertate cautum esset, mixatus est Mauritius: & quamvis Wittebergæ transactionem cum urbanis frustra iterum instituisset, siquidem Legatus Cæsaris Laz. Schwendius alias admittere conditiones recusabat; tamen Hedecii præcipue precibus continuis fatigatus, easdem mitigavit, deque religione ac libertate ipsis cavuit. Facta igitur urbis deditio, præsidiorum millia duo dimissa, ipse verò cum suis immixtus Mauritius cives Imperatori ac sibi obligavit, juraque sua in Burgaviatum denuò vindicavit, urbis dominium cum Electore Brandenburgico & Archiepiscopo partitus. Theologis, qui injurii in ipsam fuerunt superioribus annis, ac si, receptis quibusdam Libri Interimistici ceremoniis, ad pontificiam religionem defecisset, bellicque Magdeburgici administrationem, ideò in se suscepisset, libenter ignovit. Captivos ferè DC. vinculis liberavit *). Copias pridie egressas urbe Georgius Megapolitanus Dux dissimulato Mauriti nomine, iterum conduxit, ipsisq; in Thuringiæ oris hyberna constituit, donec, quid facto opus sit, edoceantur. Consilia enim tum de restituenda ferè oppressa Germaniæ libertate, Hispanico fastu domando & Philippo Hassiaco socero liberando cum Johanne & Alberto Marchionibus Brandenburgicis, Joh. Alberto Megapolitano & Wilhelmi Philippi filio Torgæ cœpit, ast hæc tanto cuncta tangebantur silentio, ut Magdeburgo discedens Mauritius dixerit: Wenn er wüßte/ daß sein eigen Hembde/das ihm am nähesten am Leibe liege/ seinen Anschlag wissen solte / wolte er es alsbald austhun und verbrennen. Fœdus cum Henrico II. Gallorum Rege iniit, conventu Fridewaldæ arce Hassorum venatoria, habitò, cui intererant unà cum Mauritio, Albertus Marchio, Wilhelmus Landgravius, Galliæque Regis legatus Johannes Fraxineus.

Vix

Vix inter hos de fœderis ac rerum summa convenerat, cum rapidum coruscantis aëris fulgur totum conclave occuparet, sequente mox unico, sed validissimo & terrifico aëris mugitu. Ad hæc cum non levi percuterentur horrore principes, *Baronensis*, unus ex *Hassiacis*, lætus exclamavit, decretum hoc fausta à Deo ominatione probari; idque exemplis ex historia depromtis probavit *ſ*). Celabantur verò ea adhuc adeo omnia, at quid Gallicus legatus venisset aut egisset, nemo rescisceret. Mauritius enim, Albertus Marchio, & filii Philippi legatos destinaverant ad Carolum, qui Landgravii peterent liberationem. His quidem spem fecit Cæsar; ast, cum ambiguam illam esse, nec Ferdinandi Rom. Regis, Mariæ Ungariæ Reginae, Daniæ regis principumq; Friderici Palatini Electoris, Wolfgangi Bipontini, Johannis Marchionis Brandenburgici, Henrici & Johannis Alberti Ducem Megapolitanorū, Ernesti Marchionis Badensis, Christophori Ducis Würtembergici, intercessionibus quidquam perfici cernerent, de Galli auxiliis, ut dictum, sibi prospexere. Et quò magis omnem belli amoliretur suspicionem, Mauritius Oenipontem ad Carolum se venturum literis nuntiat, Legatosq; Tridentum 1552. die 7. Jan. mittit, ut Theologis suis Concilium adituris, salvum impetrarent conductum; quod cum eo, quo par erat, modo, minus impetrarent, Theologos *Erasmum Sarcerium*, *Valentinum Duceum* & *Philip. Melanchthonem*, eò destinatos *Norimbergæ* jussit consistere. Exiit paulo post rumor belli, sed obscurus saltem; cui etiam ne à Carolo quidem fides habebatur. Tandem constitutis quæ voluerat Elector copias hybernis educit, literisque ad Imperii ordines editis, belli causas exponit. *Henricus Plavensis* *Misniæ Burggraffus* & tum *Bohemix Cancellarius* à *Ferdinando Rege*, antequam progredieretur Mauritius, *Erlebachii* frustra d. 8. Martii pacem tractavit. Elector junctus fœderatis Germaniæ principibus, *Augusta* deditione capta, patribusque concilii sola adventus sui fama dispalatis *Lincio* accessit, ubi de liberando socero Landgravio, de religionis atque doctrinæ componendo dissidio, de recte constituenda Republica, de pace cum Rege Gallie, socio & confederato faciendâ, de proscriptis (qui erant *Reingravius* & *Heideccius*) in gratiam recipiendis, delibera-

sum est. Ast cum Passavii habito conventu d. 26. Maji, in has; Ferdinando jam ante oblatas, conveniri non possit conditio- nes, Mauritius supperatis capræ ductu Alpium angustiis Eres- burgum expugnavit. Dum seditiosum militem cohortis uni- us, quæ cum tumultu flagitabat stipendia, comprehendi jus- sisset, hastas & tormenta in se emissa celerrimo vix effugit cur- su. Eresburgo subactò ita territus Imperator est, ut Oenipon- te Villacum Carinthiæ oppidum accensis funalibus, summa celeritate fugeret, Mauritioque ac fociis paratam cœnam re- lineret. Mauritius Oenoponte Passavium abiit; ubi con- questus est, *Imperii rempublicam liberam ab exteris administrari; Electorum auctoritatem & jurisdictionem minui camerilibus eos, qui ab ipsis provocant, recipientibus. Controversias statuum, cum tem- poris ac sumtum ingenti jactura protrahi: Comitibus frequentibus, in quibus tamen nil salubre agatur, exhauriri Germaniam. Exteris militantes pecunia puniri, & ne contra Cesaris provincias agant, ad- stringi. Bello Schmalcaldico, Principes ac Dominos suos secutos are mulclari: Amicis ac fidis in illo bello Cesari principibus, pecuniam im- perari, eorumque legatis, non statim assentientibus mortis suppli- cium interminari. Deque Germania subacta & patrimonio Cesaris conjungendo, varios cædi sermènes. Tormenta non sine ludibrio gentis è Germania finibus fuisse devedta; nonnulla quoque fabrica- ta ac principum Germaniæ insignia iis impressa, tanquam hæc illi se- reptæ essent: libellos famosos & in principes injurios, Imperatoris privilegio vulgatos. Publicis comitiis, è Cesaris homines provinciis tanquam status immisceri, ut adaucto numero suffragiis illi vin- cant: Camera judicium ante annum quartum constitutum esse, le- gesque conscriptas, quæ in præjudicium A. C. addictis cederent eos- que à confessu prorsus excludant, quæ ut cognoscantur in comitiis opus esse. Harum igitur medelam Landgravii dimissionem & religioni pacem petenti ab intercessoribus Ferdinando, Alber- to Bavariæ Duce & Episcopis Salisburgense & Eichstetense re- sponsum est, æqua quidem omnia esse; ast, quo Cæsari con- staret honos suus nonnulla ad status publici emendationem pertinentia ad communem Imperii conventum posse referri. In tertiam inde Julii induciæ factæ sunt, quò tempore Impe- rato;*

ratoris referri debebat responsum: Mauritius Eichstetam in castra reversus, cum præterlapso induciarum tempore Cæsaris ad intercessores literæ votis minus responderent, moræ impatiens, Ferdinando octo dierum adhuc spatium petenti, quò ad Carolum proficisci & de pace cum ipso præsens transigere posset, vix concessit. Redux verò iterum in castra, cum Cæsaris Francofurti præsidium septendecim peditum signa & equitum mille cognovisset, Hassia Francofurtum progressus obsidione illam cinxit. Tandem Henrici Plauvensis in castra ad Mauritium ablegati studio effectum est, ut pacis admitteret conditiones Elector: quibus liberum religionis exercitium, usq; dum placidis & æquis conditionibus compositum sit dissidium, permissum est; His & inter alios principes ipse subscripsit. Hinc pulsi superioribus annis dum sacerdotes Evangelici revocati sunt. Mauritius copias suas omnes, præter Risenbergii legionem, quæ ad Albertum Brandenburgicum transferat, in Ungariam adversus Solymanum Turcarum Imperatorem misit. Quod verò minus bellum ibi successerit, Castaldi causatus est avaritiam Elector (1). Postmodum cum Alberto Brandenburgico, cujus, ut loquitur Burgoldensis, petulantiam non amplius ferebat, neque alioquin sibi suspecto, multum fidebat, (licet cum ipso antea conjunctissime viveret; quoniam scilicet contemta Pace Passaviensi, hostilem in modum Germaniam pervagabatur, bellum nactus est, quod per Henricum Plavensem, nominatum sæpius ipsi curavit denunciari. Ventum tandem quoque ad manus prope Sivershusam in agro Luneburgensi, ubi Albertus, captis suorum signis militaribus sexaginta octo profligatus; ipse verò Mauritius tormenti ictu ad ilia trajectus, biduo post victoriam vitæ functus est. Literis tamen antea Würzburgensi præfuli eventum prælii, Albertumque in fuga comprehendi posse significavit. Cæcidere hæc pugna quoque Carolus Victor & Philippus, Duces Brunsvicenses, Fridericus Dux Luneburgicus, Johannes Schauenburgicus comes, octo comites & triginta nobiles. E gregario autem milite utrinque cæsi quatuor millia & triginta octo perhibentur. Præcessere hanc calamitatem inau-

dita canum rabies, fremitus in aëre auditi, sanguineæ guttulæ
 in herbis conspectæ; ejulatus in aciei loco. Berolini quoque
 de statua Mauritiæ caput, nulla vi adhibita delapsum est. Cum
 Alberto adducerentur, ut quidam putant, à Maria Ungariæ re-
 gina Caroli sorore, è Belgio missa fuerint auxilia, nonnullis
 persuasum fuit, in mutua arma incendisse Carolum principes,
 quibus fracti & debilitati succumberent. Ast Georgius Sigis-
 mundus. Seldius Caroli olim Vicecancellarius eleganti episto-
 la ad Christophorum Carolum Wizium, 1554. perscriptâ, Cæsarem
 tumultus Marchionis auctorem se non præbuisse asseverare
 non dubitavit *u*). Mauritius conditur Freibergæ in monu-
 mento patrio. Verè de hoc principe dicitur, quod cum fra-
 tre suo laborare, cum Johanne Fridenico Electore orare, cum
 ArchiEpiscopo Moguntino gloriari, & denique cum Carolo V.
 bellare potuerit. Mortis ejus tempus sequentibus compre-
 henditur Chronodistichis:

Pannonias, Victor notus Virtute per Urbes

Mauritius Princeps fortiter occubuit.

Mauritius princeps austo sanguine Charus

Lethali oppellit fluxus ab hoste globo.

Memoria ejus, Augusti fratris constitutione, annuâ in Lipsi-
 ensi Academia, quam duobus aureorum millibus annuis & a-
 liquot centenis frumenti modis munificentissimus princeps
 ditaverat, oratione in Paulino templo d. 9. Julii celebratur.
 Referri adhuc meretur, huic Mauricio 1545. in Villa Luigana,
 quam Pisanus Cardinalis in agro Veneto ædificabat, simul aliis
 viris eruditis sortes è Virgiliano Carmine colligenti, talem
 contigisse:

curibus parvis ac paupere terra

Misus in imperium magnum

Arces varias partim exstruxit, partim refecit, in quibus recen-
 sentur Mauriciiburgum: Radeburgum, Senftenbergensis,
 Tschoppensis & ornatissima Dresdensis *x*). Ex Agnate Has-
 siaca ducta 1541. genuit

I, ALI

I. ALBERTUM filium Dresdæ natum 1545. d. 28. Novembr.
ast iterum extinctum 1546. d. 12. Apr.

II. ANNAM Wilhelmo Nassovio Urania principi 1561. in
marrimonium datam; sed remissam Patruo Augusto;
apud quem anno 1577. die 18. Decembr. defuncta in Mi-
nenti sacello condita est,

a) *Fabric. Lib. IX. O.S. in vit. ejus. Seckendorff. in Lutheranismo;*

b) *Sleid. de st. R. L. XV. p. 246. Fabr. l.c. c) Dresser. mill. 6.*

P. II. p. 454. d) Sleid. l.c. L. XIV p. 237. e) Lambert. Hor-

tens. in hist. B. G. f) Sleid. l.c. p. 252. Fabr. l.c. Petruch.

Chron. Portens. P. II. p. 6. 7. g) Fabr. l.c. h) Sleid. Lib. XVII.

i) Sleid. L. XVII. & XVIII. Fabr. l.c. k) vid. aut. cit. conf. L.

XIX. Sleid. l) Arumæ. disc. I. ad A. B. th. 20. Clapmar. de

arcan. Rerump. l. i. c. fin. conf. Sleid. l.c. p. 344. seq. m) Fabr.

l.c. n) Sleid. l.c. p. 147. Fabr. l.c. Peifer. in Lips. o) Fabr. l.c.

Weckius in chron. Dresdens. p) Sleid. L. XX p. 368. q) Fabr.

l.c. r) Sleid. L. XX. s) Ghytraus L. XVII. Sax. Sleid. L. XXII.

& seq. Fabr. l.c. t) Treutler. in Orat. de vita & obitu Wil-

helmi Hassie Landgravii p. 54. u) Sleid. l. 23. & 24. conf.

Thuan. l. 9 x) Sleid. l.c. L. 25. Thuan, L. XI. de omnibus ve-

rò his imprimis agit Corn. Crul. in Vindiciis Mauritanis.

conf. Fabr. l.c. y) Fabr. l.c.

J. 5. AUGUSTUS n. Freibergæ 1526. d. 31. Jul. princeps
omni integritatis, gravitatis, rectitudinis, sapientia, maximi-
que ingenii & singularium virtutum laude à teneris unguicu-
lis eminentissimus. Literas adeò amavit, ut corroborata jam
ætate, linguam latinam addidicerit. Puer scholam Freibergæ
frequentavit. Tandem in contubernium Maximiliani II.
Ferdinandi, Romanorum tum regis filii assumptus. Pragæ
aliquandiu vixit. Hinc tantam sibi peperit Maximiliani fami-
liaritatem ut postmodum aliquoties Dresdæ ab ipso visiteretur.
Quin imò dixisse aliquando Augusto nostro fertur: Frater
Tuæ ego sum religionis; sed age quaeso, viam ostende, extri-
sando me è labyrinthis, quibus involutus hæreo a). Caro-

D 3

lo V₃

lo V. Imp. adversus Franciscum Gallix regem militavit. Administrator Mersburgensis diœceseos post obitum Sigismundi à Lindau, anno 1544. factus, Ecclesiasticam inspectionem, Georgio Anhaltino coadjutori permisit. Episcopatum verò resignavit an. 1548. quò d. 12. Octobr. cum Anna Christiana regis Daniæ filia nuptias Torgaviæ celebravit. In pactis dotalibus cautum fuit, ne ex Joh. Friderici ditionibus, superiori bello partis, sed ex patriis potissimum provinciis proprietatem, Mauricius decerneret. Eodem anno legatum d. 24. Febr. Augustam misit Joh. Hojerum Mansfeldicum comitem, qui nomine ejus, in solenni Electoratus inauguratione manum vexillo admoveret *b*). Dum infelici ad Sivershusam potiretur victoriâ frater, ipse aberat cum uxore in Dania penes focerum; quare defuncto post pugnam biduo Electore, optimates Saxoniæ, duodecim peditum, & quinque equitum signa provinciæ tuendæ ergò retinere; reliqua dimiserunt *c*). Albertus Marchio Brandenburgicus missis ad gentem & Nobilitatem Saxonum literis amicitiam ipsis & fœdera, propter Mauritium renunciavit *d*). Augustus cognitâ fratris morte, quanta potuit celeritate reversus homagio subditos sibi obligavit, d. 17. Aug. In Lipsiensi conventu deliberatum est, utrum Ferdinando regi adversus Albertum Brandenburgicum auxilia mittenda, & hac occasione indigna Mauricii cædes ulciscenda sit; quidq; Joh. Friderico I. Electoralem dignitatem & ablatas ditiones repetenti respondendum. Ex ordinum consilio pacem cum Alberto fecit Augustus; cum Johanne Friderico autem Numburgi 1554. ut supra Sect. II. c. II. sub Joh. Friderico dictum est, transegit *e*). Hæc transactio postmodum cum Johannis Friderici filiis renovata, fœdusque hæreditarium cum iisdem, Brandenburgicis Marchionibus & Hassiæ Landgraviis confirmatum ac stabilitum est. Ad Augustana comitia, propter Patriæ tranquillitatem nondum restitutam, haud accessit Augustus, missis vero eò legatis inter alia confirmationem pacificationis Passaviensis impetravit. Decretum igitur factum sub anno 1526. refert Sleidanus. Anno 1558. Ferdinandum, postquam Imperio se abdicasset Carolus V. in Francofurtensibus
comi-

comitiis, cum reliquis Electoribus Imperatorem salutavit. Johannem X. præfulem Misnensem ab Haugwitzio sede deturbatum restituit; Mülbergensem diœcesin pro Stolpensi eidem tradidit f). Monetariam officinam Annaberga Dresdam transtulit. Turres arcis Wittenbergensis restauravit, in quarum Epistyllis superiorum mutationum historiam à Philippo Melanchthone conscriptam recondidit. Anno 1559. Friderici II. affinis coronationi Hassniæ interfuit: ad comitia Augustana misit legatos. Anno 1562. Francofurtum profectus est, ubi Maximilianus II. in Romanorum Regem lectus est. Capitulatione pacis publicæ, religionis, libertatis ac jurium Imperii conservationem & confirmationem Maximilianus promisit. An. 1564. Dresdæ Maximilianum II. excepit Augustus. Numburgensis ac Mersburgensis diœceseos Administrator postulatus Consistoriis Inspectionem demandavit Ecclesiasticam, iisdemque dum viveret, præfuit. In comitiis Augustanis 1566. 23. Apr. Electoratûs feudorumque omnium investituram à Maximiliano II. Imp. impetravit g). Bello Grumbachiano præfectus publicos Imperii hostes graviter ultus est. Itaq; ipse Maximilianus dixit: *excesfit medicina modum.* h). Superioribus annis malè cœperant audire apud reliquos Evangelicos Misniæ & Saxonie Electoralis Theologi, ac si Calviniana dogmata contra invariata A. C. doctrinam in provinciis meditarentur recipere. Philippus enim Melanchthon Augustanæ Conf. formulam in quibusdam mutaverat, quam Fridericus III. Palatinus typis imprimi curaverat. Huic cum Augustus in Numburgano conventu 1561. Theologorum suorum persuasione inductus faveret, neque Palatinum ab Evangelicis excludi pateretur; quin potius eidem in religione sua constanti diceret: *Seiß / du bist frömmmer / denn wir alle mit einander / ac si doctrinæ illi patrocinetur, à quibusdam, licet falso, infimulatus est.* Quare tandem à Johanne Wilhelmo Vinarieuse, de suorum monitis perfidia, in Altenburgicum an. 1568. consensit colloquium. Quod tamen ob Misnensium, qui multis oppugnabantur argumentis, pertinaciam frustra fuit. Anno eodem à nuptiis Elisabethæ filie Heidelbergæ redux, Sinz-

Sinzheimii convenit Imperatorem Maximilianum, qui ibat ad comitia Spirensia, in quibus etiam de sumptibus Augusto Electori refundendis, quæ bello fecerat Grumbachia noactum est. Præfecturas enim tantummodo Sachsenburgum, Arnshaugiam & Ziegenruckam sub nomine der asscurirten Nemter / ex Johannis Friderici II. ditionibus Augustus acceperat. An. 1571. liber prodiit Wittebergenfium Theologorum, cui titulus erat: Die Grundveste / cui tanquam hæretico, alium opposuere superiores Saxonix Theologi, qui inscribatur; Wiederholte Bekantniß. Hunc iterum excepit Catechismus crypto Calvinisticus Wittebergenfium, quem Jenenses Theologi correxere. Inter has contentiones subolere cepit Augustus suorum fraudem ideoque Wittenbergenfes, Lipsienses ac reliquos ditionis suæ Theologos Dresdam convocatos, ut de Sacra cœna ederent confessionem mandavit anno 1572. die 10. Octobr. Hinc Consensus Dresdensis, pro confessione cothutnus, nec Calvinistico carens veneno, publicam aspexit lucem. Quare cum Jenenses eidem denuo objicerent confutationem, Elector id sine causa id fieri persuasus, Johannis Wilhelmi pupillorum tutor 1573. constitutus, ex iis nonnullos exilio multavit, Thuringicosque cum suis conciliare studuit. Mutavit verò sententiam, postquam Calvinisticos suorum errore accuratius animadvertisset, conventumque Torga alium 28. Maji 1574. indixit. In eo affirmativos X. negativos, XX. Theologis proposuit, ut ad eos categoricè vel affirmando vel negando responderent. His cum recusarent subscribere D. Casparus Cruciger Junior, D. Henricus Müllerus, D. Fridericus Widebramus Pastor Wittebergenfis & Christophorus Pezelius, captivi Lipsiam in arcem Pleissenburgum missi prius haut abeundi ex ditionibus Augusti impetrarunt veniam, donec articulis illis, licet non sine dolo, subscriberent. Casparus quoque Peucerus medicus; summus Crypto Calvinistarum fautor, Georgius Cracovius Cancellarius & Johannes Stöffelius carcerebus itidem prægnantes ob causas inclusi sunt. Anno 1575. d. 12. Apr. denuo Maximilianus II. Imp. cum Rudolpho filio, Philippo Hispanix Regis & Ducis Sabaudix legatis denuo Augustum

112
gustum Electorem Dresdæ visitavit; inque septimum usque
diem ibidem moratus est. Mense Octobr. Rudolphi Regis
Rom. coronationi Augustus interfuit Ratisbonæ. Ibi cum
Nobilitas Fuldana Abbati subjecta, & Eislefeldensis Moguntino
præfuli parens, comites item Weteravii & aliis ad Rhenum con-
tenderent, ut præter liberum religionis exercitium ipsorum
quoque filiis locus inter Canonicos concederetur; plurimique
A. C. principes causam ipsorum prima statim convocatione
tractandam censerent; Augustus ne id fieret solus restitit, fo-
re, non sine causa interferens, si Ecclesiastici ordines cogi de-
berent, subditis suis aliam, quam ipsi probarent, concedere re-
ligionem, ut idem quoque mandatum in A. C. addictos prin-
cipes retorqueri ipsique cogi possint, ut itidem in suis ditioni-
bus liberum Religionis Pontificiæ exercitium approbent. Simi-
liter de Canonicis & præceribus Collegiorum A. C. doctrinam
amplectentibus sentiit. Tandem cum Lichtenbergæ, Tor-
gaviæ, Bergæ prope Magdeburgum cœnobio, Tangermundæ,
Herzbergæ, Jüterboci, in conventibus diu satis de constituen-
da inter Aug. Confess. Theologos, concordia, maturo confi-
lio actum esset, publice in Torgano conventu prælecta For-
mulæ concordiæ plurimorumque principum, comitum, Baro-
num, civitatum, omniumque per Misniam & Saxoniam The-
ologorum subscriptione an. 1580. confirmata, ac typis Dresdæ
& Tubingæ expressa fuit. Postquam etiam anno 1582. Calvi-
nistarum & Flacianorum contra hunc librum scripta aliquot
prodiissent, sequenti statim anno à Kirchnero Selneccero &
Chemnitio Apologia conscripta, Erfurti exhibita ac denique
post triennium publicè edita est *b*). An. 1579. Magdeburgen-
sem Burggraviatum Joachimo Friderico Brandenburgico Ad-
ministratori, reservatis sibi aliquot præfecturis ac titulo, cessit
i). Anno 1582. mutatio Calendarii Juliani auctore Gregorio
XIII. pontifice cœpta est. Quæ cum Evangelicis offerretur,
Augustus constanter ipsum inter alios repudiavit *k*). An. 1583.
ultimus ex familia Hennebergica Georgius Ernestus inter mor-
tales esse desit. Quare juxta rationem pactorum olim inito-
rum maxima possessionum pars ad Serenissimam Saxoniam prin-
cipum

E

cipum

cipum familiam pervenit; præterquam quod nonnulla Wurzburgensi subiecta diœcesi, Episcopus & Franckensteinam præfecturam, urbemque Schmalcaldum Hassiæ acciperet Landgravius 1). Eodem anno Gerhardus Colonienfis Antistes Agnetam Mansfeldicam tjurata religione Pontificia, in matrimonium duxerat; sperans Belgarum ac Protestantium reliquorum ope Electoratûs retineri posse dignitatem. Ast licet Numburgica de re institueretur conventus, Augustus tamen Elector cum reliquis Lutheranis nullo modo moveri potuit, ut Gerhardi conatus approbaret, auxiliaq; promitteret m). Demum postquam secundas cum Agneta Georgii Ernesti principis Anhaltini filia celebrasset nuptias, anno 1586. d. 3. Jan. eodem anno ex venatione d. 11. Febr. redux, Apoplexia tactus oppetiit, cum præfuisset annis XXXIII. Optimus iste princeps tam eximio fruebatur ingenii acumine, ut omnium ferè artium causas ac fundamenta investigarit. Hinc Alchimix, D. Paulo Luthero duce studuit, ut quantum eâ fidendum sit, ipse experiretur n). Integerrimus ipse candorem in cunctis desiderabat. Fraudulentos ac impostores angue pejus oderat. Academiam Wittebergensem multis ampliavit stipendiis: Alumnorum in Scholis illustribus numerum auxit, utque exteris etiam beneficio eodem frui liceret, effecit. Portam ædificiis exornavit: Grimæ & Misenæ decem ex viginti stipendiis Portam alias spectantibus contulit. Centum millia florenorum certis elocavit personis, utque viduæ & orphani usuris summæ hujus sustentarentur, præcepit o). Merito igitur Augustus dicitur, Principum decus: virtutum omnis generis splendor; concordix vinculum; Pacis conditor; constantissimus religionis defensor; integerrimus justitiæ Patronus. Eximiam œconomix peritiam septendecim centena Talerorum millia sine ulla subditorum molestia collecta, quæ suis reliquit, testantur p). Priori matrimonio XV. grogenuit liberos. Undecim brevioris fuerunt ævi. Reliqui superstites erant:

I. ELISABETHA n. 1551. Johanni Casimiro Palatino Rheni
 1568. elocata, m. 1590.

II. CHRIS-

II. CHRISTIANUS I. de quo seqv. §.

III. DOROTHEA n. 1563. denupta 1585. Henrico Julio, Duci Brunsvicensi, m. 1587.

IV. ANNA n. 1567. conjuncta 1585. Joh. Casimiro D. Saxon. Cobutgenfi m. 1613.

- a) *Burchold. in præfat. ad Comment. in J. P.* b) *Fabr. l. IX. O. S. in vitæ ejus.* c) *Fabr. l. c.* d) *Sleid. L. XXV. p. 472.* e) *Sleid. l. c. p. 472. 476. 480.* f) *Fabr. l. c. de his omnibus agit.* g) *de hoc supra dictum.* h) *Acta Formula Concordiæ. Müller. in historia F. C. Kromayer. in hist. Eccles. conf. Fabric. l. c.* i) *Dresserus in hist. Saxon. p. 767. seq. conf. Fabric. l. c.* k) *Fab. l. c. conf. Dresser. p. 73. seq.* l) *Spangenberg. in chron. Henneberg.* m) *Thuan. Fabr. l. c. conf. Gerard. Vossium in Paneg. Fabiani à Dona. fol. 463.* n) *Sylvester Kundtmann in vita Augusti.* o) *Petruch. P. I. chron. Portens. p. 80. seq. Sylvest. Kundtmann. l. c.* p) *vid. cit. aut. conf. Spener. Syllog. Genealog. p. 397.*

§. VI. CHRISTIANUS I. n. 1560. d. 3. Novembr. ab primis incunabulis omni studio ac curâ, primariis Christianæ capitibus doctrinæ atque omni virtutum artiumque principibus dignarum genere imbutus, anno 1581. promeruit, ut consilio Regiminis seu statûs à Parente Augusto præficeretur. Itaque publicarum pariter ac privatarum patriæ suæ causarum accuratam hausit cognitionem. Parentem anno 1582. Augustam, ad Comitiam comitatus est. Elector post Parentis mortem 1586. factus. Judicia quædam, Academies & Scholas melius ordinare studuit. Militum multas aluit cohortes: Arces ac munitiones vetustate collapsas refecit partim, alias à fundamentis, atque in his celeberrimum stabuli ædificium Dresdæ, excitavit; Propugnaculum ad Albim fortissimum Königsteinum in ea, quâ nunc est, forma constituit, ut adeò toga pariter ac sago præstaret a). Anno 1587. successionis seu fœdus hæreditarium cum Brandenburgicis & Hassiacis initum denuò repetitum fuit. Circa annum 1590. malignorum quorundam illecebris in-

ductus, Crypto-Calvinistis quædam indulgere visus est. Frequentabant quippe aulam Electoralem quidam Consilarii atque Theologi Crypto-Calvinistæ, qui Orthodoxos A. C. Doctores calumniabantur, & cum quotidiano Electoris uterentur commercio, unicè agebant id, ne cuiq; alii pateret ad ipsum aditus, & ne ipsorum quisquam resistere posset consiliis. Maximè verò impugnabant Exorcismum, & Prædestinationis Calvinisticæ dogma palliabant. Hinc abtogari per Misniam ritus ille Exorcismi cœpit. Quidam Theologi, qui istud improbabant, in exilium missi sunt, frustra renitentibus Nobilibus & populò veterem ritum adprobantibus. Electore enim belliculis implicito, eorum machinationes sumere incrementa b). Quippe anno 1591. Henrico Regi Galliarum IV. suppetias adversus factionem Ligisticam, quæ peculiari Ligæ innotuit nomine, misit. Eodem anno, cum quinque annis præfuisset regimini, immaturâ morte d. 25. Septembr. obiit. Christianus tutorem filiis reliquit Fridericum Wilhelmum Ducem Saxo-Vinariensem, Johannis Friderici quondam Electoris nepotem, qui instituta super quatuor articulis, de Cœna Domini, de Persona Christi, de Baptismo & de Prædestinatione per Misniam & Saxoniam visitatione, orthodoxam Evangelii doctrinam restituit, ditionibusque Electoralibus Crypto-Calvinistas ejecit. In matrimonio habuit Christianus I. Elector Sophiam Johannis Georgii Brandenburgici Electoris filiam, quâ nati sunt,

I. CHRISTIANUS II. de quo seqv. §.

II. JOHANNES GEORGIUS I. de quo seqv. §.

III. ANNA SABINA nata & denata. 1568.

IV. SOPHIA nata an. 1587. denupta Francisco Duci Pomerniæ. m. 1635.

V. ELISABETHA nata 1588. mortua 1589. d. 4. Jul.

VI. AUGUSTUS natus 1589. d. 7. Septembr. Administrator Numburgensis factus, improlis tamen ex Elisabetha Henrici Julii Ducis Brunsvicensis filia 1625, die 26. Decembr. decessit.

VII. DO,

VII. DOROTHEA nata 1591. Abbatissa Quedlinburgensis,
mortua 1617.

a) *Wernerus in Chron. Dresd. Descriptio Königsteinii Germanica,*
confer. Fabric. l.c. in vita ejus & Sylvester Rundtmann. in
vita ejus. β) Fabric. in vita ejus. Spener. Syllog. Kromayeri
hist. Ecclesiast. Sleidani Contin. German. in fol. proluxè de
his agit p. 146. 168. & seqq. conf. p. 190. 191.

§. 7. CHRISTIANUS II. natus an. 1583. d. 23. Septembr.
quem Fridericus Wilhelmus tutor egregiè omnibus principe
viro dignis virtutibus, maximè verò pietate instituit. Anno
1592. Administrator diœcesis Mersburgensis communi capitu-
larium suffragio postulatus, in fidem & clientelam d. 6. Febr.
subditos suscepit. Annum ingressus decimum octavum æta-
tis patriæ clavos suscepit 1601. d. 23. Septembr. Sequenti Crel-
lium Cancellarium turbatæ pacis reum capitali in vinculis sup-
plicio affecit a). Nave Albi fluvio vectus magnum cum Fra-
tre Johanne Georgio periculum vitæ subiit, incensò quippe
quorundam, ut ajant, scelere, pulvere pyrio, qui in nave erat.
Pragam 1607. profectus benignè à Rudolpho II. excipitur. Ut
liberum Religionis Evangelicæ exercitium literæque Majesta-
tis impertirentur Bohemis, Moravis, ac Silesiis, intercessione
sua procuravit anno 1609 b). Sequenti anno Imperator Ru-
dolphus II. Julix, Clivix ac Montium feuda, postquam defun-
ctus esset Johannes Wilhelmus ex Ducibus postremus solenni
ritu Christiano contulit, missisque Coloniam legatis Ludovico
Landgravio Hassiæ & Archiepiscopo Trevirensi, ut Domus et-
iam Saxonica in possessionem admitteretur, contendit. Nihil
verò impetratum fuit à Wolffgango Neoburgico Duce maxi-
mè resistente Joachimo Friderico Electori Brandenburgico,
qui anno 1611. tertiam ditionem illarum partem in conventu
Jutterbockæ habito Saxonibus offerebat c). Cæterum comme-
moratur de hoc Electore, quod, cum aliquando subtristis in le-
tulo recubans de causa à quodam interrogatus, responderit:
Nunc demum se considerare, quod primos annos liberalium
artium studiis minus rectè impenderit. Quamobrem cogi se

nunc alienis oculis videre, alienis auribus audire & alieno ore loqui. Atque hoc ita tum augebatur, ut lacrymæ etiam per genas ipsi interloquendum defluerint *d*). Eodem anno hasti ludio fatigatus, cum frigidam avidius haussisset cerevisiam, apoplexia correptus obiit d. 23. Jun. ætatis anno XXVII. Regiminis X. Ex Hedvige Friderici II. Daniæ Regis filia ducta 1602. m. 1641. nullam suscepit prolem.

a) *Fabr. in vita Christiani II. conf. Thuan. L. 130.* b) *Fabric. l. c.*

c) *Lundorp. contin. Sleid. Tom. 3. L. 15. de Jure Domus Saxon. vid. Strauch. dissert. exot. 10. §. 12. conf. Apolog. Saxon. Lipsiæ 1610. editam.* d) *Fabr. l. c.*

§. 8. JOHANNES GEORGIUS I. heros insignis, quem eximia rerum gestarum magnitudo, Mauritio, Augusto gloriosissimis ipsius majoribus per omnia parem fecit; Lucem hanc aspexit Dresdæ anno 1585. d. 5. Mart. Parente nimis maturè defuncto, Friderici Wilhelmi Altenburgici & Joh. Georgii Brandenburgici curæ commissus, optima hausit pietatis fundamenta, omnibusque principe dignis ornamentis, armis præcipuè ac literarum studiis probè excultus est. Anno 1602. Comitibus ac Ducibus itineris Rudolpho Vicethumio & Rudolpho Christophoro aus dem Winckel / quibus postmodum Salfeldiæ se junxit Georgius à Niswiz, Italiam & ibidem imprimis Venetias, Veronam, Mediolanum, Romam, Florentiam & alias perustravit. Romæ Clementem VIII. indulgentiarum forum, aperientem ignoto spectans habitu, populi indoluit simplicitati, qui emeret care quod pœnitentibus gratis datur. Mediolani morbo oppressus difficili ac periculoso, Medicorum frustra quæsit operam prætendentium sc. nondum acceptam à confessionariis veniam. Quin imò receptaculum negabat importunus hospes: quare à Sabaudo Duce medicos & alia necessaria petiit, votique omnino particeps factus est. Augusta quoque in auxilium adproperavêre principi de vita periclitandi, Medici. Valetudine recuperatâ Versellis Sabaudum visitavit; Romam haud rediit, licet donis, illo tempore sveltis. acceptis à Pontifice eò invitaretur, domum sibi properandum esse inter-

interferens. **Dresdam** redux, haud levius in **Albi** periculum
subiit. Pulvere enim pyrio per incuriam in nave, quâ fereban-
tur, incenso, præcipitem se dare in undam cogebatur. Divinâ
tamen servatus fuit benignitate *a*). Anno 1603. ad capeffen-
dam administrationem Episcopatus **Mersburgensis** evocatus,
Majo mense ordines sacramento sibi obstrinxit *β*). Matri-
monio conjunxit sibi **SYBILLAM ELISABETHAM** Wür-
tenbergicam, **Friderici** filiam anno 1604. d. 16. Septembr. eâque
1606. d. 26. Jun. sine prole defuncta An. 1607. d. 19. Jul. secun-
das cum **MAGDALENA SYBILLA** Alberti **Friderici** filia
celebravit nuptias postquam **Pragâ** eodem anno, quo simul
frater ad **Rudolphum II.** Imp. profectus erat, rediisset. Anno
1611. **Mülhusum** ad conventum Electorum ablegatus, morte
fratris repentina revocatus & Elector factus **Saxonix.** Prima
vice **Rudolpho II.** Imperatore anno sequenti extincto, Vica-
rium egit Imperii per quinque menses. Susceptionem Vica-
riatus publico intimavit diplomate, quo **Rudolphi** mortem de-
bitamque inde sibi administrationem Imperii significabat *γ*).
Anno 1616. **Dresdam** venientem cum **Ferdinando Rege,** **Maxi-**
miliano Archiduce, & **Cleselio Cardinale,** **Matthiam** Imp. be-
nignè pariter ac splendide excepit *δ*). Sequenti inceptæ an-
te seculum **Luthero** autore, Reformationis memoriam Jubi-
læum primum, alterum 1630 quò ante seculum exhibita fuit
Aug. Confessio, instituit. Excepere pius hocce Electoris in-
stitutum variæ Pontificiorum calumniæ, aded, ut quidam **Dn.**
D. Hoë dixerint: *Werdet ihr Lutherischen ein Jubel-Fest begehen/
so wollen wir mit euch ein Kugel-Fest halten /* ipseque **Gramon-**
du Electorem jus indicendi Jubilæum, non usitato hætenus
more, in æmulationem Jubilæi Pontificii, arrogasse sibi, falso ac
citra ullam rationem iniquissime asseveraret *ε*). Cæterum ab u-
nionis fœdere, Ligæ Pontificiorum opposito per omnem vitam
abhorrui. Anno 1619. d. 10. Mart. extincto **Matthia** Impera-
tore, Vicariatu demum summa cura usque in 18. Augusti fun-
ctus est. Oblatam sibi hæc ætate à **Bohemis,** qui quod templa
præter **Majestatis** literarum tenorem, à **Ferdinando Rege** sibi
existimarent erigi, anno præcedenti in conventu **Pragæ** habi-
to,

to, repudiato Ferdinando, legatos ejus de fenestra ar-
cis præcipites egerant, repudiavit Coronam; frustra que
Mediator constitutus, ut arma ponerent Cæsare adhuc arma-
to, laboravit. Postquam verò Fridericus Palatinus unionis
caput ab uxore & ministris gloriæ cupidis instigatus regium
suscepisset honorem, ideoque in Sleusingenſe demum con-
ventu, privatus Electoratu & proscriptus esset, & quamvis in
neutram antea partem propenderet, in conventu tamen Mü-
lhusano, causæ motus justitiæ, Cæsaris partes amplexus, & licet
ipsum Mauritius Hassiæ Landgravius dehortaretur, Lusatiam
aggressus est anno 1620. Pacis quidem legibus vicinam hanc
provinciam potius quam sanguine volens subjugare, injan-
ctam ab Imp. commissionem aperuit, Budissini, (quam expu-
gnaverat) conventum indixit, utque obedirent Cæsari amice
monuit ordines. Jegerndorffio, qui pacis consilium populo
prompto dissuadebat, in ordidem redactò Lusatiaque subactâ
in Silesiam contendit, ubi anno sequenti Vratislaviæ ordines
Imp. nomine in fidem ac clientelam suscepit. Lusatiam u-
tramque anno 1622. hypothecario jure obtinuit. Consilium
Imperatoris, quem frustra inter alios de Friderici Palatini resti-
tutione sollicitaverat, quò in Maximilianum Bavariæ Ducem
transferre meditabatur Electoratum improbavit, neque ideo
Ratisbonæ indicta anno 1623. comitia frequentavit. Impera-
tor Ludovicum Landgravium Hasso-Darmstadiensem ipsi
gratissimum ad Electorem ablegavit, qui tandem effecit, ut in
conventu Schleusingenſi, translationem Electoratûs appro-
baretur. Dolebat tamen non parum, quod monita sua haud
observata fuerint. Anno 1629. edictum exiit Imperatoris, de
restituendis bonis Ecclesiasticis, Episcopatibus sc. XIV. Mag-
deburgensi sc. Bremensi, Mindensi, Halberstadiensi, Verden-
si, Lubecensi, Razeburgensi, Misenenſi, Mersburgensi, Num-
burgensi, Brandenburgico, Havelbergensi, Libusienſi & Cami-
nensi multisque aliis prælaturis ac fundis, quos maximam par-
tem Protestantes in pios converterant usus. Cum igitur fru-
stra hoc deprecaretur Elector noster Ligistarumque exercitûs
insolentia non parum premerentur. Protestantes, Johannes
Geor.

Georgius Lipsiæ anno 1630. conventum indixit Electorum, principum ac ordinum Protestantium, ubi de vi repellenda; A. C. doctrina adversus omnem impetum defendenda; Pressis Saxonix Superioris statibus auxilio mittendo, ac ineunda, armaturæ ratione actum est. Toti tamen actui solennissima protestatio, Conventum & armaturam Protestantium in Cæsarem, ut supremum ordinum Imperii caput, nil hostile machinari, annexa. Colloquium etiam inter A. C. Theologos & Reformatos institutum, quò licet in unam non possent conspirare sententiam; semotistamen affectuum aculeis, christianâ charitate se invicem complexuros, sanctè promiserunt. Acta Lipsiensia ad Imperatorem missa sunt. Nihil verò impetrarunt principes; quin potius denuò mandatis præstare jussi sunt obsequium. Hinc expugnata jam Magdeburgo & Tilio suis imminente provinciis, imò Lipsiam occupante, fœdus cum Svecorum Rege, quod hætenus constanter renuerat, pepigit. Hoc factò pugnam svasit Elector, suis timens provinciis. Memorabat rex periculum, de Electorum imprimis Brandenburgici sc. & Saxonici corio ludi, sique acie eos vinci contingeret, de mitris maximè Electoralibus actum iri, edisserens. Perstitit verò in sententia Joh. Georgius, Rege prælium quasi detrectante, solus cum suis in hostem ire & prælio de summa rerum decertare certus. Itum igitur conjunctis copiis Lipsiam est. Victoriæ quasi præfagisse fertur candida vexillo cuidam Saxonico columba insidens. Conserta manu, Svecis in sinistro cornu Victoribus, Electoris Saxonix exercitus multo hostium copiis inferior in fugam propemodum conjectus fuit. Ipse Elector jam celeri gradu Eulenburgum se receperat. Ast cum Rex, fugam sociorum animadvertens, alias subinde copias hosti objiceret; tandem cedere Regique victoriæ relinquere coactus fuit. Elector Eulenburgum revocatus, Lipsiam recuperavit. Denique Lusatiâ Cæsarianos ejecit, Pragâq; Leutomericio in Bohemia sub potestatem redactis, multa quoque in Silesia occupavit loca. Anno 1632 Pragâ recuperatâ Silesiam invaserunt. Eò quoque profectus Saxonis dux Arnheimius Lübenam & Glogoviam expugnavit. Junctus Regiis & Ele.

F

& Ele.

& Electoris Brandenburgici copiis Cæsareanos ad Steinaviam castris cedere coëgit. Recipientes se Vratislaviam usque secuti Basilica potiuntur, pullosque sacerdotes muniis suis restituerunt. Cæterum Anno 1631. Legato Hispanico particularem svadenti cum Cæsare reconciliationem, haud assentitus, neque etiam Regis Svecorum sententiæ de Universali Protestantium conjunctione certa; & statâ inter eos ordinanda militia adstipulatus planè est. Deo propter obtentam haud procul Lipsiâ victoriam, publicas d. 7. Sept. grates Lipsiæ exsolvit. An. 1632. Gallassius & Pappenhemius Misniam & Saxoniam depopulati sunt. Wallensteinus quoque postquam Lipsiam expugnasset cum omni ad Luzenam exercitu confedit. Rediit igitur eò etiam Sveciæ rex, quanta potuit celeritate. Die 6. Novemb. summo mane nebula totum operiente cælum, speculatum egressus Gustavus Adolphus Sclopetorum minorum aliquot ictibus interficitur. Prælio tamen nihilominus commisso divina ope & Bernhaldi Saxonix Ducis operâ insigni, terga vertere hostes, coacti sunt, Lipsia Electori Saxonix reddita est. Johannes Georgius die 6. & 7. Septembr. an. 1633. solennes, ob partam prope Luzenam victoriam, grates Deo decrevit. Sequenti ad Lignizium Cæsareanos profligarunt Electoris copiarum, urbesque Budissam, Zittaviam & Görlizium recuperarunt. Anno 1634. cæsis ad Nordlingam cum Bernhardo Vinariense Svecis, legatis Dresdam missis Imperator, pacem tractare cœpit. Deputati invicem ac missi legati Pirnæ in Misnia pacis conditiones, quæ antea etiam cum Electore Brandenburgico Georgio Wilhelmo communicatæ erant, ad mediationem contulerunt. Hinc copias suas ex Bohemia revocavit Joh. Georgius. Tandem Pragæ publicatis d. 26. Maji 1635. pacis conditionibus, quibus jure hæreditario utraq; Lusatia cedebatur Electori, verlus fuit compositus:

*Praga atrox orbi, quæ protulit impia bellum,
Quo factò pacem redderet illa bonam.*

Per hanc pacificationem Jüterbock, Dahma, Querfurt & Burck è Magdeburgensi Archiepiscopatu jure hæreditario accepit.
Sve.

Svecis viginti quinque auritonnas pro bellis sumptibus & præstita hætenus sibi opera attulit. Ast cum illi rejicerent hanc pecuniæ summam pacemque Pragensem reprobarent, bellum in eos decrevit. Cæsus verò eodem à Svecis prope Domitzium anno d. 23. Octobr. plusquam mille suorum amisit. Anno sequenti non levem quoque ad Havelbergam cum Cæsareanis cladem perpeffus fuit. Postquam verò Magdeburgum die 3. Jul. expugnasset, ad Wittstochium Marchiæ ingenti eòque satis cruento, decertatum esset prælio, Sveci victores facti ulcisci parabant hostes. Anno 1637. Werbenam & Dömitzium expugnavit; ordinesque Lusatix utriusque juramento, quod dicitur fidelitatis, sibi obligavit. Anno 1638. cum quatuor filiis, medios inter belli tumultus Leutomeritzi in Bohemia Ferdinandum III. Imp. visitavit; à quo honorificè admodum exceptus est. Anno 1639. d. 4. Apr. ad Chemnicium Electorales copias Sveci fuderunt. Haud diu post pugnam hanc, Marazinus Generalis Johannis Georgii à Bannerio captus est; Dresdam verò rediit Arnheimius, qui vincula Suevorum evaserat. Anno 1641. Legatos misit ad Comitatus Norimbergensia, ubi inter alia præcipue urbes Monasterium & Osnabruggum, denominatæ sunt, in quibus tractari pacis debebat negotium. Eodem tempore, d. 23. Görlizium subegit. Anno 1645. quinquennales cum Svecis pepigit inducias Johannes Georgius omniaque ditionis suæ loca recepit præter Lipsiam, quam cum menstruis 11000. talerorum & certa frumenti portione permittebat Svecis. Hoc armistitium sequenti postmodum an. d. 20. Januar. prolongavit usque ad pacem Westphalicam, quæ tandem anno 1648. communi omnium læticia, facta est. Conditiones, quibus constituta est, peculiari continentur instrumento, cui à Monasterio & Osnabruga urbibus nomen est. §). Anno 1650. exulibus Bojemis Dresdæ in suburbiis Pirnensibus templum condidit, eique Ecclesiastem constituit. An. 1652. Pragam cum filio Joh. Georgio ad Imp. salutandum abiit. An. 1654. oppidum in finibus Bohemiæ exules, Electoris permissione crexerunt, mutuatoque à principe Serenissimo nomine, illud, Johann Georgen Stadt appellarunt. Anno 1656. tertium,

ob confirmatam religionis pacem, quasi Jubileum celebravit
n). Demum 1656. die 8. Octobr. hora V. pomeridiana Dresdæ
diem obiit suam Freibergamque delatus in monumento
majorum conditus est. Paucis itaque sic Maximi Principis vi-
tam delineavimus. Omnibus enim ab ipso memorabiliter ge-
stis, meritisque eximiis, quæ imperio præstitit, commemoran-
dis integrum vix volumen nedum leves aliquot pagellæ suffi-
cerent. Ex posteriori matrimonio prolem suscepit numero-
sam. Nati enim ipsi

I. JOHANNES GEORGIUS II. de quo seqv. §.

II. AUGUSTUS n. 1614. d. 13. Aug. quem Magdeburgense
Capitulum in Coadjutorem anno 1624. cooptavit. In Ar-
chiepiscopatus Administratorem anno 1628. electus est:
quamvis Imperator literis ad Electorem Saxonix datis,
hanc improbaret Electionem, siquidem filium ejus natu
minimum Leopoldum Wilhelmum Archiducem Austriæ
Antistitem constitui voluit. Interim, accedente licet et-
iam an. 1629. de restituendis bonis Ecclesiasticis edicto, ni-
hilo fecius in Dioceseos dictæ administrationem introdu-
ctus est anno 1630. d. 18. Octobr. Qui extincto sine prole
Augusto Ludovico comite, Barbiensem anno 1659. comi-
tatum acquisivit. Weissenfelsæ arcem condidit opere &
structura eximiam. Magnam nominis famam indeptus
est, ob Gymnasium Augusteum, Weissenfelsæ 1666. ab ipso
constitutum §). Obiit anno 1680. d. 4. Jun. Uxores ha-
buit

a) ANNAM MARIAM, Adolphi Friderici Ducis Mega-
politani filiam ductam 1647. m. 1669. ex quo thoro pro-
dierunt

1.) JOHANNES ADOLPHUS n. 1649. d. 2. Novembr. qui
aulam Leucopetræ non quidem adeo amplam, sed
splendidam habet. Cum Serenissimis Saxonix Electo-
ribus Joh. Georgio III. & IV. modernoque capite Do-
mûs Saxonix Friderico Augusto firmam semper ac
constantem coluit, coletque amicitiam, Matrimo-
nio

nio sibi conjunxit JOHANNAM MAGDALENAM
Friderici Wilhelmi D. Saxo-Altenburgici filiam, an.
1686. die 22. Jan. pie defunctam. Ad secunda vota
transiit anno 1692. cum - - - *nobilis de Büna*
ex qua haectenus nullam suscepit prolem. Priori vero
matrimonio prognati sunt

- a) MAGDALENA SYBILLA 1673. d. 3. Mart.
- β) AUGUSTUS FRIDERICUS 1674. d. 15. Septembr.
sed vita iterum huic exemptum 1675. 16. Aug.
- γ) JOHANNES ADOLPHUS 7. Jun. & denat. die 18.
mensis ejusdem an. 1676.
- δ) JOHANNES GEORGIUS, 13. Jul. 1677. princeps
pulcherrimæ indolis, qui in spem futuræ successio-
nis educatur.
- ε) - - - d. 24. Jul. 1678.
- ς) JOHANNA WILHELMINA Illustris forma
Princeps, d. 20. Jan. 1680.
- η) FRIDERICUS WILHELMUS, nat. d. 18. Jan. 1681.
m. 1683.
- θ) CHRISTIANUS magnæ spei princeps, die 23. Febr.
an. 1682.
- ι) ANNA MARIA d. 17. Jun. 1683.
- κ) SOPHIA d. 11. Aug. 1684.
- λ) JOHANNES ADOLPHUS ultimum amoris con-
jugalis pignus n. 4. Septembr. 1685.

2) MAGDALENA SYBILLA n. 1648. elocata 1669. Fri-
derico Duci Gothano, m. 1687. 20. Jun.

3) AUGUSTUS Junior n. 3. Decembr. 1650. quem Mag-
deburgense capitulum in præpositum sibi adscivit an.
1661. Militiæ tyrocinia deposuit sub signis primùm
Svecicis ac denique Coloniensis Archiepiscopi, dum
frustra anno 1672 Gröningam in Belgio obsideret, pu-
gnans. Præmatura morte fatis concessit 1674. Vidu-
am reliquit Carolam Friderici Landgraviæ Hassiæ filiam,
ductam 1673. ex qua unicam saltem genuit filiulam, ab

utero extinctam. Ipsa Carola transit in Thalamum
Joh. Adolphi comitis Tecklenburgici.

- 4) CHRISTIANUS n. 1652. d. 2. Jun. qui Patrueli Johanni Georgio III. Electori militavit, intimæque admissionis ipsi fuit. Egregiam operam in liberatione obsidionis Viennensis & expugnatione Budæ an. 1688. præstitit. Copiis Saxonis adversus Gallos ad Rhenum missis, simul præfuit, & in expugnatione Moguntia cum militum in accessibus ordinaret operam, fortiter pro Patria oppetiit, an. 1689. ictu globuli pyrii trajectus sui que immortale cunctis desiderium reliquit.
- 5) ANNA MARIA nat. an. 1653. die 28. Febr. mort. an. 1671. d. 17. Febr.
- 6) SOPHIA n. 23. Jun. 1654. nupta an. 1676. Carolo Wilhelmo principi Anhaltino Servestano.
- 7) CATHARINA n. an. 1655. d. 12. Septembr. mort. 1663. d. 21. Aprilis.
- 8) CHRISTINA, n. 1656. d. 25. Aug. Augusto Friderico D. Holsatia & Episcopo Lubecensi 1676. d. 21. Jun. matrimonio juncta.
- 9) HENRICUS n. 1657. d. 29. Septembr. Augusti fratris in Magdeburgensi præpositura successor 1686. die 30. Mart. Is Colonellum egit in exercitu Brandenburgico: sedemque suam habet in Barbiensi civitate. Nuptiis conjunxit sibi Elisabetham Albertinam Joh. Georgii Principis Anhaltini Dessaviensis filiam, ex qua progenit . . . n. 1687. d. 28. Jul. m. 1688. d. 22. Jun. & Johannem Augustum n. 1689. die 24. Jul. m. d. 21. Octobr. ejusdem anni.
- 10) ALBERTUS n. 1659. d. 14. Apr. qui ad Pontificios transit, & cum Christiana Theresia ex illustri Löwensteinensi & Wertheimensi Comitum familia matrimonium iniiit. Extinctus præmatura morte an. 1692. Lipsia. Filiam genuit unicam Christianam n. 1690. d. 27. Jul.
- 11) ELISABETHA nat. an. 1660. die 25. Aug. mort. 1663. d. 11. Maji.

12) DO-

12) DOROTHEA n. an. 1662, d. 17. Decembr. m. an. 1663.
d. 12. May.

Secunda vice duxit Augustus Senior Johannam Walpurgim,
Georgii Wilhelmi comitis Leiningensis in Westerburg filiam,
an. 1672. d. 29 Jun. m. 1689. matrem

a) FRIDERICI n. 1673. d. 20. Novembr. &

b) MAURITII n. 1676. d. 5. Jun. m. 1695.

III. CHRISTIANUS n. 1615. d. 27. Octobr. qui Mersburgensis
parente extincto postulatus Administrator, ex testamen-
to præterea paterno & peculiari cum Serenissimo fratre Jo-
hanni Georgio II. Electore transactione Inferioris Lusatiz
Marchiam obtinuit. Dobrilucam in Lusatia muris cinxit;
oppidumque à suo nomine Christianopolim vocavit.
Sprembergam præfecturam etiam acquisivit. Deum ti-
mens, Subditis suis parum molestus fuit, tantumque sibi
omnium conciliavit amorem, ut si integrum ipsis fuisset,
de suis vitæ ipsius adjecissent annos. Oeconomica Pru-
dentia multis principibus palmam præripuit. Nullius rei,
dum viveret in vita hac necessariæ penuriam expertus
est; quin aliorum potius promptè sublevavit inopiam.
Mortalitatem annis jam septuaginta sex natus, exiit 1691.
mense Novembr. Ex CHRISTINA, Philippi Holsatiz
Ducis rami Glücksburgensis filia, heroico præditâ animo
principe ductâ 1650, 19. Nov. quæ jam vidua Delizii degit,
pater factus est

1) MAGDALENÆ SOPHIÆ n. an. 1651. die 19. Octobr.
m. 1675. d. 29. Marr.

2) JOHANNIS GEORGII n. 1652. die 4. Decembr. mort.
1654. d. 3. Jan.

3) CHRISTIANI n. 1653. d. 19. Novembr. Post ipsum Ad-
ministratori Martisburg Episcopatus principis cle-
mentissimi, quem præmatura nuperrime d. 20. Sept.
morre extinctum Serenissima dolet vidua, Erdmudh
Dorothea, Mauriti Saxo. Naumburgensis patris filia,
nu.

nuptiis ei 1679. d. 14. Octobr. conjuncta. Dolet quoque
atque deplorat parentis optimi obitum Serenissima
proles. Genuit enim

- a) CHRISTIANUM MAURITIUM nat. 1680. die 7.
Novembr. felicissimæ indolis ac magnæ spei princi-
pem. Sed ô flebile fatum nuper in ipso ætatis flo-
re magno cum Serenissimæ matris dolore, variolis
d. 15. Novembr. horâ 5. vespertina extinctum.
- β) JOHANNEM WILHELMUM n. 1681. d. 11. Oct.
m. 1685. d. 19. May.
- γ) AUGUSTUM FRIDERICUM n. 1684. d. 10. Mart.
m. 1685. d. 13. Aug.
- δ) PHILIPPUM LUDOVICUM nat. 1686. d. 3. Nov.
m. 1688. d. 11. Jun.
- ε) MAURITIUM WILHELMUM n. 1688. 5. Febr.
- ζ) AUGUSTI n. 1635. d. 5. Febr. qui Hedvigim Gustavi A-
dolphi Ducis Mecklenburgici Gûstraviensis filiam in
matrimonium duxit, ex qua suscepit
- a) CHRISTIANAM MAGDALENAM nat. an. 1687.
d. 11. Septembr.
- b) FILIAM in arce Stargardiensi 1689. d. 10. Decembr.
nat. & mort.
- c) CAROLINAM AUGUSTAM nat. 1691. d. 10. De-
cembr. m. 1693. Ipse sedem habet Zörbicæ.
- d) - - - n. & m. 1656.
- e) PHILIPPI n. 1657. d. 16. Octobr. artis ac Martis studii
exercitatissimi, qui legionem ducens, in prælio ad Flo-
riacum cum Gallis 1690. 21. Jul. commisso, occubuit.
Matrimonio sibi junxit 1684. d. 11. Jul. Eleonoram
Sophiam Johannis Ernesti Ducis Vinariensis filiam, m.
1687. d. 4. Febr. illâ mortuâ, Loysam Elisabetham Chri-
stiani Ulrici Ducis Würtembergici filiam 1688. d. 7. Aug.
sibi vitæ & thori sociam elegerat. Ex priori thoro ge-
nuit
- a) CHRISTIANAM ERNESTINAM n. 1685. 21. Jul.
m. 1689 6. Jun.
- b) JO

- b) JOH. WILHELMUM n. 1687. d. 27. Jan. m. 1689.
d. 20. Jun. Ex posteriori
CHRISTIANUM LUDOVICUM n. 1689. d. 16. Sept.
m. 1691. 20. Jun.
- 7) CHRISTIANÆ n. 1659. d. 1. Jun. Christiano D. S. Eisen-
bergæ degenti, 1677. 13. Febr. in matrimonium traditæ &
in puerperio 1679. d. 13. Mart. extinctæ.
- 8) SOPHIÆ HEDVIGIS n. 1660. 4. Aug. Joh. Ernesto D.
S. Salfeldensi nuptæ, 1680. d. 19. Febr. m. 1686. 1. Aug.
- 9) HENRICI n. 1661. 2. Septembr. qui militiæ deditus in
Italia adversus Ludovicum XIV. Galliæ Regem fortiter
militavit. Degit Sprembergæ in Lusatia inferiore.
- 10) MAURITII n. 1662. 29. Octobr. m. 1664. 21. Apr.
- 11) SYBILLÆ MARIÆ n. 1667. d. 28. Octobr. Christiano
Ulrico D. Würtemberg. & Oelsæ rami Bernstadiensis 1683.
die 27. Octobr. in matrimonium collocatæ, m. an. 1693.
d. 9. Octobr.

IV. MAURITIUS n. 1619. d. 28. Mart. Numburgi, cujus etiam
diœceseos Administrator 1653. factus est. Matrimonium
contraxit 1) cum HEDVIGE SOPHIA Philippi D. Hol-
satiæ Glücksburgensis filia, m. 1652. 2.) cum DORO-
THEA MARIA Wilhelmi Ducis Saxonix Vinariensis
gnata, m. 1675. 11. Jul. & 3.) cum SOPHIA ELISABE-
THA Philippi Ludovici D. Holsatiæ Sunderburg. m. 1676.
Cæterum arcem Cizæ magnificam à se exstructam voluit.
Diem vitæ supremum habuit d. 4. Decembr. 1681. E priori
ejus conjugio prodierunt:

- a) JOHANNES PHILIPPUS n. 1651. 12. Novembr. m. se-
quenti anno d. 24. Novembr.
- b) MAURITIUS n. 1652. 26. Septembr. m. 1653. 10. May.

Ex altero numerantur

- 1) ELEONORA MAGDALENA n. 1658. d. 30. Octobr.
m. 1661. 26. Febr.
- 2) ERDMUTH DOROTHEA n. 1661. 13. Novembr. Lu-
dovico primùm Hasso-Darmstadiensi Landgravio de-

G

spon-

sponsata, eò autem in ipso nuptiarum apparatu extin-
ctò, à Cristiano Mersburgensi in matrimonium assum-
ta est, quæ nunc conjugem amare luget.

3) MAURITIUS WILHELMUS n. 1664. d. 12. Mart. Ad-
ministrato post parentem Naumburgensis & Citzen-
sis Episcopatus factus, antea exteras perlustravit regio-
nes; Et cum literarum studiis non leviter excultus sit,
Literatorum etiam Patronus celebratur clementissimus.
Matrimoniali conjunxit sibi vinculo Mariam Æmiliam
Friderici Wilhelmi M. Electoris Brandenburgici fili-
am Caroli D. Megapolitani viduam 1689. 26 Jun. cum
quagenuit

a) FRIDERICUM WILHELMUM 1691, d. 26. Mart.
mœstissimis verò parentibus denuò ereptus. die 15.
Mart.

b) DOROTHEAM WILHELMINAM nat. 1692. die
13. Mart.

4) JOHANNES GEORGIUS nat. an. 1665. die 27. April.
m. 5. Septembr.

5) CHRISTIANUS AUGUSTUS n. 1666. d. 9. Octobr.
qui Chiliarchæ pedestris insignitus Characterè, castra
Johannis Georgii III. Electoris secutus est. Variarum
scientiarum profunda satis gaudet notitia. Utinam
Pontificiam non amplexus esset religionem.

6) FRIDERICUS HENRICUS n. 21. Jul. 1668. qui itidem
sub Serenissimo Electore Saxonie Joh. Georgio III. sti-
pendia meruit.

7) MARIA SOPHIA n. 1670. d. 3. Novembr. mort. 1671.
d. 31. May.

8) MAGDALENA SYBILLA nat. 6. April. & m. die 20.
Aug. 1672.

a) Buchner. in orat. funebr. b) Buchner. l. c. γ) Continuat.
Sleidani sub anno 1611. δ) Sylvester Ruidtmann. in vita
Joh. Georg. ε) M. Lungwit. in adm. div. Sax. L. 2. c. 7. conf.
Gramond. L. II. Hist. Gall. p. 175. & 177. ζ) totam belli Germ.
seriem referimus ex Puffendorff. & Chemnitii Volum. de bello
Sveco-

*Speco-Germanico. Epitom. rerum German. Brachelii Was-
senburgii Floro German. Burcholdens pref. ad Comment. in
Jus Publ. n) Sylvester Rundtmann, in vit. d) Europ.
Herold p. 130.*

§. IX. Revertimur jam ad JOHANNEM GEORGIUM II.
maximum natu Electoris Joh. Georg. I. filium. Is in vitalem
hancce lucem edirus est an. 1613. d. 31. Maj. Is Deo, Cæsari &
Imperio fidelissimus omni tempore extitit. Tenerrima ætate
virorum omni eruditionis genere instructissimorum curæ
commissus, literas quidem ad pompam haud didicit; literatos
tamen per omnem vitam singulari planè fovit clementia, mu-
neribusque eos maximis affecit a). Fidei fundamenta ac pri-
maria Christianæ Religionis Orthodoxæ capita probè haufit,
eamque constanter amavit. Anno 1652. Parentem, Pragam ad
Ferdinandum III. Imp. euntem, comitatus est. Biennio au-
tem præterlapso, Wittebergam profectus D. Wellero Concio-
natori Aulico Primario, postquam, concione habita, D. Calo-
vium in Superintendentem inaugurasset, secum in curiâ pran-
denti, magno cum zelo principem suum filium commendavit.
Herr D. Weller/ inquit, Ihr habet heute auff des neuen Superin-
tendenten Seele die Seelen der Zuhörer gebunden: Höret nun:
Ich binde euch die Seele meines jungen Prinzen auff eure Seele/
daß/ weil der Herr Vater nunmehr durch Göttliche Gnade ein ho-
hes Alter erlebet; Ich auch nicht wissen kan/ wenn mich GOTT
abfordern will/ daß ihr nach meinem Tode den jungen Herrn in kei-
ner andern Lehre wollet erziehen lassen/ als darinnen ich gebohren/
ieso lebe/ auch durch Göttlichen Beystand und Hülffe bis an
mein seeliges Ende beständig verharren/ darauff leben und sterben
will/ nemlich in der allein wahren Lutherischen Religion/ der unge-
geänderten Augspurgischen Confession b). Parente anno 1656.
vitâ sancto, gubernaculis Reipublicæ admotus, curam religio-
nis & justitiæ gessit sedulo. Ferdinando Imperatore extincto,
Imperii Vicarium egit. Ædis sacræ Evangelicæ Hanoviz 1659.
exstruendæ primum posuit lapidem. Anno 1664, Ratisbonæ
in comitiis consilia, de instituenda adversus Turcarum incur-

fiones militia, modis omnibus promovit. Anno 1672. contra Gallum ob illatum Germaniæ bellum fœdus cum Imperatore & Brandenburgico Electore pepigit. Ideò suppetias, aliquot millia militum, Duce Johanne Georgio III. filio Imperatori 1673. misit. Cum 1680. pestilenti lue major pars Misniæ infecta esset, Freibergam Elector se contulit, ubi vitam placidissima morte finiit an. 1680. d. 22. Aug. Conjux ejus fuit Magdalena Sybilla Christiani March. Brandenb. Beruthinensis filia, quam sibi conjunxit 1638. d. 13. Novembr. Nuptiæ Dresdæ magnifico apparatu & pompa celebratæ sunt. Ex hac progenit

I. SYBILLAM MARIAM n. 1642. d. 1. Septembr. mort. 1643. d. 27. Febr.

II. ERDMUTH SOPHIAM nat. 1644. d. 15. Febr. Christiano Ernesto March. Brandenb. Beruthensi 1662. elocata, mort. an. 1670.

III. JOHANNEM GEORGIUM III. n. 1647. 20. Jun.

a) *vid. Waremundi Sinceri Prosopographiam Electorum secularium in Job. Georg. II.* b) *v. Inaug. Calov. in fin.*

S. X. JOHANNES GEORGIUS III. inter media quidem pacificationis consilia natus, belli tamen artibus quàm maximè claruit. Pollebat enim robore corporis, perferendis laboribus ac multis aliis belli incommodis aptissimo præditus. Venationes, belli præludia amabat plurimum. Imperio adeò existeret fidelis, ut nullis Gallorum illecebris, quo minus infectæ Germaniæ suppetias ferret, permoveri potuit, quin potius literas ad se hac de re missas ad Imperat. obfirmatas adhuc transmisit a). Primum militiæ specimen edidit 1673. adversus Gallos Rhenanis infestos regionibus, millium aliquot deletam manum ducens. Ibi in duobus conflictibus ad Mimenheimium & Sinzheimium egregiam operam navavit, hostibusque ambiguam pugnam reddidit. Anno 1683. pressæ Turcarum obsidione Viennæ 12000. exercitum auxilio adduxit, ibi junctus Polonorum & Imperatorum copiis, primus fuit, qui castris suis expulit Turcarum exercitum. Siquidem primum
in

in eos impetum fecit feliciter. Hinc tantam nominis sui famam acquisivit, ut Romæ etiam Malagonellus in solenni Panegyri Johanni III. Polonorum Regi habita, cum mentio Electoris nostri facienda esset, his inter alia verbis uti non dubitaverit. Primum belli impetum fortissimi Saxones excepere, qui, tanquam pro modo virtutis gradus deberetur, prima in acie constituti, illatis ultrò, acceptisque vulneribus, in vestigio quisque suo, famæque superstites cecidère, haud indigni illius Principis Imperio, à quo gloriosissime ducebantur c). Firmissimam tum cum Polonorum Rege iniiit amicitiam, qui, si 50000. militum ejusmodi, ac Saxonici essent, haberet, brevi Turcas Europâ & Constantinopoli pulsorum se testatus est d). An. 1684. Venetias profectus magnificè à Senatu exceptus est, cum quo de præstandis adversus Turcas 3. millibus militum & quingentis pepigit. Hæ copix, cum à Venetis lustrarentur, magnam sui admirationem excitarunt. An. 1636. de auxiliis ab Imperat. per legatum appellatus, quò sub potestatem redigeretur Buda, 3000. militum Christiano Weissenfelsio Duce in Ungariam ablegavit. Denique Johannis Georgii IV. filii primogeniti legionem quoque Imperatori auxilio misit contra Turcas. Belgium Regium etiam perlustrans, cum Principe Arausionensi, nunc Rege magnæ Britannix collocutus est. Anno 1688. irruptionem fecit in Germaniam Ludovicus XIV. Gallix Rex, Imperatore bello Turcico implicatò. Inde Johannes Georgius Heros noster fortissimus, communi permotus Germanix periculo, precibus ac lamentationibus sub Gallica truculentia gementium primus exercitum suum ad Rheni oras deduxit. Cognitò ejus adventu Herbipolitanus præsul, literis scriptis grates ei persolvit, quod pressis & tantùm non oppressis tam promptè laturus auxilium accurreret. Elector afflictis eorumque legatis, pro defendenda patria, quantum quidem in ipso positum esset, obnixè omnia se facturum testatus est. Postquam igitur conventui Magdeburgico, in quo fœdus contra Gallos stabilitum est, interfuisset, copias suas cum Brandenburgico Electore Ducibus Brunsvicensibus & Hassiæ Landgravio junxit. De-

hinc, Gallis latrocinantibus, Heilbronnæ, Disbergam, Stas-
ckenburgum, & alias arces cum fœderatis suis eripuit. Anno
1689. Moguntiam cum aliis Imperii confœderatis obsedit, ubi
periculosissimo omnium loco stationem exercitus sui nactus
est. Expugnatio exterioris loricæ, fossæ muralis Electoris no-
stri, ejusque exercitus eximie virtuti unicè ferè tribuenda e).
Omnia enim tum Ducis ac Imperatoris optimè obivit milesq;
exemplo animatus Ducis sui fortissimè, sese jaçtavit. Hinc Gal-
li coacti deditioem urbis facere. Ad Electionem Josephi
Regis Rom. Ratisbonam evocatus, non quidem ipse compa-
ruit; Legatos tamen suos eò misit splendidissimos, & status
Imperii peritissimos, Illustrissimos puta Barones ac Dominos
Gersdorfiam & Frisium. Eodem anno vita excessit Franciscus
Julius Dux Saxo. Lauenburgicus, in cujus ditiones jus ipsi suc-
cessionis competit. Quare cum possessionem apprehendisset,
& à Ducibus Luneburgensibus in illa turbatus esset, injuriam
hanc tantisper publico Imp. commodo posthabuit. Nam è re
Patriæ infestis Gallorum armis pressæ esse existimavit, ne novis
implicaretur turbis. Sequenti anno Imperii Campi Marechal-
li locum tenentis titulo præditus, hostiles coercuit impetus.
Anno 1691. denuò ad Rhenum ivit, dissuadentibus licet aliis,
dicens: quod, si non posset eò incolumis proficisci, portari se
velle, ut Patriæ laborantis calamitati subveniret. Morbo au-
tem in castris correptus, Tübingæ inter continuas adstantium
preces d. 12. Septembr. vitam finiit, perenne sui Germaniæ de-
siderium relinquens. Funus in patriam delatum Freibergæ
in monumento majorum magnifica pompa sepultum est f).
Ex Serenissima conjugæ ANNA SOPHIA Friderici IV. Daniæ
Regis filia, quam sibi Haffniæ Danorum anno 1666. d. 9. Oct-
solemnibus nuptiis desponsavit, genuit

I. JOHANNEM GEORGIUM IV. nat. 1668. d. 18. Octobr.
de quo seqv. §.

II. FRIDERICUM AUGUSTUM n. 1670. d. 12. Maj, de
quo seqv. §.

a) Vid.

a) *Vid. Curriculum vitæ ejus Germ.* b) *Schurzfl. in contin. Sleid. de IV. summis Imp. conf. vitæ curriculum cit. du Buiffon in vita Marechalli Turenii lib. 2. cap. 17.* c) *Relat. von der Belagerung und Entsatz Wien.* d) *Curric. vit. cit.* e) *curric. vit. cit. conf. Happel. Kern. Chronica ad annum 1689. & Orat. de Moguntina obsidione eodem anno Altdorffii habitam.* f) *curric. vit. cit.*

§. II. JOHANNES GEORGIUS IV. omniatenciis ungviculis scientiarum, quæ Principem decent, genere imbutus tanta cepit incrementa, ut multos superaret alios Principes. Adultior factus in exteras 1685. 7. Novembr. regiones, Galliam, Angliam, Belgium, Daniam, Principum migravit; Dresdam d. 19. Novembr. sequentis anni reversus. Anno 1689. parentem ad Rhenum in militiam adversus Gallia Regem secutus est comes. Parente in castris defuncto, subditos fidelitatis juramento sibi obligavit. Anno 1697. matrimonio sibi junxit ELEONORAM ERDMUTH LUYSAM Johannis Georgii Saxo Henacensis Ducis filiam, Johannis Friderici Marchionis Brandenburgici Anspachiensis viduam. Adversus Gallos ipse superiori anno expeditionem suscepit, qua cum confederatis Gallorum exercitum numerosissimum cohibuit, ne, ut minati fuerant, in Germaniæ medietullum irruerent. Hoc anno d. 28. Apr. in ipso ipeuntis ætatis flore, totius Saxoniæ communi luctu, vitam cum morte mutavit, nullâ relictâ prole.

§. 12. FRIDERICUS AUGUSTUS Princeps animi heroi-ci armis à tenera asvetus ætate, parentem imitatur Serenissimum. Animi ac corporis dotibus excellens, magnam de se Germaniæ spem excitavit. Anno 1687. exteras visendi regiones Dresdâ egressus, Galliam, Hispaniam, Portugalliam, Sabaudiam, Italiam ac Austriam perlustravit, ubi magnam virtutum suarum administrationem reliquit. Redux 1689. d. 14. Apr. cum glorioso parente ad Rhenum militavit. Anno 1692. Angliæ

Angliæ Regis in Belgio castra secutus speculatumque egressus
hostilia intravit castra; Mox verò agnitus celeri fuga vix eva-
sit periculum. Magnum ibidem Regis dicti gratiam iniit, ne-
que minorem sibi quoque famam peperit. Superiori Anno
CHRISTIANAM EBERHARDINAM Christiani Ernesti
Marchionis Brandenburgici filiam thoro sibi sociavit Bareuthi.
Jam dignissimus Fratris successor factus, clementia sua ge-
nerosa omnium bonorum civium animos sibi conciliavit.
Nos precamur, ut DEUS Serenissimum huncce Electorem.,
Maximum Germaniæ Heroem, fortissimum Saxonæ Achil-
lem sospitem diu ac incolumem totius Imperii commodo ser-
vet, & optatissimo Saxonæ commodo prole ipsura beet,
nec non victorias contra Reges ac triumphos
largiatur, clementissime

S. D. G.



2
C 7751

ULB Halle 3
004 778 510



TA 70L

10 77

n.5.





§. II. Saxones ad
 ipsum volen
 ad Obacrum
 phalorum, &
 supplices in
 pit. Exerci
 Westphalis,
 verant, clade
 tus est, fide
 vero in Itali
 lus; Saxone
 Nova hac pe
 conventu, Sa
 piam Saxonu
 nam fidem se
 vit, baptizari
 burgum resta
 lum.

§. III. In
 Seniores, sac
 interim ad Si
 Hispaniam co
 ipse redux fac
 qui cuncta ad
 Hos Alemanni
 nam Fluvium
 vix pauci eva
 circa annum
 Lippiam fud
 os & Westpha
 no autem fec
 Nordalbingo
 ro, supplices
 memoriam Se
 phano templ

gum refecit;
 prohibere
 tes exercitu,
 inonem Ost
 obvios atque
 e datis rece
 a Saxonibus
 orum intra
 olus mox ul
 t. Simulac
 bierat Caro
 ripuerunt,
 ia suorum
 gens ad Lip
 am Christia
 lus illi igno
 neret, Eres
 didit castel
 es Saxoniae
 Vittekindus
 , & cum in
 intellexisset
 concitavit,
 levastarunt.
 ae ad Adara
 ultitudine
 olus, nova,
 Bucholz ad
 i Angrivari
 rinxit. An
 ngoenses &
 amnem fi
 vit. In rei
 rato St. Ste
 berstadium
 postea

